Valerius Pinanneschi
1794.


ARABIA,
ſeu
Arabum vicina
rumq; gentium Ori-
entalium leges, ritus
ſacri et profani mo-
res, inſtituta et
hiſtoria:
Accedunt præterea
varia per Arabiam
itinera, in quibus mul-
ta notatu digna enar-
rantur.
AMSTELODAMI,
Apud Ioannem Ianſſonium. A°. 1633.

DE NONNVLLIS ORIENTALIVM VRBIBVS,

Nec non

Indigenarum Religione ac moribus, tractatus brevis.

A Gabr. Sionita Profeſſore & interprete Regio ac Ioanne Heſronita interprete Regio, Maronitis è Libano.

PRÆFATIO.

MVlti nos ſæpius monuerunt atq; hortati ſunt, ut Orientalium conditiones, ſtatuſque recentiores, brevi narratione complecteremur: Nos, *ut eorum deſiderio aliquatenus ſatisfacere conaremur, celebriores nonnullas earũ regionum, ordine alphabetico deſcribentes, quaſi data occaſione & anſa arrepta, de aliquot incolarum moribus, religione, cæremoniis, victu atque veſtitu tractavimus. Præterea ſi quidam apud illos ſapientiæ doctrinæque ſtudiis illuſtres, ſui nominis famam atque gloriam reliquerint; ſi quid etiam in illis regionibus naturæ beneficio mirandum aut hominum artificio rarum reperiatur, quidve vi-*

ctu, quid veſtitu ab aliis diſcreparent attigiſſe ſatis rati, ac veluti digito indicaſſe, quidquid minus neceſſarium videbatur, omittemus. Ne *vero illa à nobis nullo authore dicta aut commemorata aliquis crederet, ea omnia ex Iacub Ben-ſidi Aali libro in Moſlemannorum dogmata atque mores, ex Iuſof Ben-Abdillatif virorum illuſtrium genealogia; ex Mohamedis Ben-Caſem horto rerum delectabilium, atque aliis quos inter legendum laudatos reperies, breviter excerpſimus.*

CAP. I.

Arabiæ & Arabum nomen atque origo, & eorundem in equitando ars, arma, rapinæ, cibi, ac veſtes. De oryza fabellà.

ARabia non ab Arabo Apollinis & Babyloniæ filio, ut Latinorum plerique aſſerunt, ſed ab Araba plaga non longè à Medina ſita, nomen ſortita eſt, quam incoluit Iſmaël Abrahami & Hagar filius, à quo etiam Iſmaëlitæ & Hagareni dicuntur; Huic verò plagæ nomen dedit Iaarob filius Cahhtan ſeu Iectan, filii Heber, filii Saleh, filii Sem, filii Noe, qui primus, Mohamede Ben-Iacub Sirazita viro doctiſſimo, Arabicæ linguæ theſauri authore teſte, Arabicæ linguæ inventor extitit, & poſt ipſum Iſmaël, qui prædictam plagam incoluit, eam excoluit, elegantem, ornatamque reddidit; ea de cauſa Sirazita ille Patrem eloquentiæ Arabicæ Iſmaëlem vocat. Quod ſi credere vellemus Iuſoſo Ben-Abdillatif, nobis perſuaderet Cahhtan ſeu Iectan Abelis pronepotem extitiſſe, ut in ſua illuſtrium virorum Genealogia apertè aſſerit: At hoc eſt apertè affirmare linguam Arabicam pri-

mam omnium extitiſſe, quod non facile probatur nec approbatur, aut tunc temporis terram non fuiſſe labii unius, quod clarè ut falſum convincitur. Melius igitur doctiſſimus Sirazita tenet Iectanum ex filiis Noë fuiſſe, cui etiam favet Sacrarum paginarum authoritas Gen. cap.10. Arabia ergo & Arabes ab Araba plaga nomen traxère, quod dedit Iaarob filius Iectan.

Porrò Arabum quidam habitant urbes, quidam deſerta incolunt, ſed ut mos eſt, cives ſunt moribus excultioribus, urbanitatemque proſequuntur: & propter mercaturam aliaſque artes, quas exercent non ignobiles, non humano inepti conſortio, neque tractandis negotiis impares ſunt. Quin immo inter illos non pauci reperiuntur, qui ſtudiis, & liberalibus artibus dediti, ſibi primum, deinde ſuis, aliiſque multa afferunt emolumenta, non tantum per literarum otia, verum etiam res bellicoſas gerendo, non minus imperio quàm obſequio apti, ac militaris diſciplinæ obſervantiſſimi, quibus artibus ad eos uſque limites, quos videmus, ſui imperii fines propagarunt, ac firmaverunt. Plerique tamen poſtea otio ac longa quiete degeneres facti, malunt temporis clementia aërìſque temperie perfrui, ac ſe ſoli exponere, quam gentibus extraneis imperare, parcoque cibo uti, quàm laborantes terræ bonis, amœnitateque frui.

Illi

Illi vero qui deſerta inhabitant Bedauyæ, deſerti ſcilicet gens dicuntur, atque hi quidem ſunt innumeri, potentes, bellicoſi, armigerique, vagi tamen atque errabundi: ſine tectis, ſine lectis atque ſine ſtatione in tentoriis è goſſipina materia aut caprarum camelorumque pilis confecta ſe recipiunt. Sub dio ſine ulla quiete morantur, ac in continuo ſunt motu, ex una in aliam regionem migrantes, & incertis ſedibus circumvagantes; proque paſcuorum ubertate, & aquarum copia, armentorumque commoditate loca commutant: camelorum dorſis, ubi iter agunt, uxores, liberos, & quicquid habent utenſilium circumferunt. Equos alunt graciles, macie torridos, tenues, minimeque edaces, curſu tamen velociſſimos & laboribus aſſuetos: eâ verò audaciâ ac pernicitate præditos, ut in obvios impetum faciant, & ubi neceſſitas poſtularit, maxima cum velocitate periculo ſe facilè ſubducant. Equites autem ita in equitando prompti ſunt atque agiles, ut nullus ferè mortalium ipſorum artem dexteritatemque imitari queat, nam res quaſdam ſupra humanum captum, atque ita mirabiles exequuntur, ut falſæ prorſus viderentur, niſi quotidianâ experientiâ veras eſſe comprobaret. Scilicet equo inſidentes, miſſileque quodlibet telum, quanta vi poſſunt, jaculantes, ſt m lato equo antequam ad terrã perveniat, manu capiunt. Item ſi quod

A 5 miſſile

miſſile contra ſe venire videant, ſummâ dexteritate vel equorum lateribus protecti, vel eorumdem ſub ventre deliteſcentes, violentos telorum ictus vitant atque eludunt. Neque novum eſt apud ipſos tela in terram jacentia equo currente è terra colligere, ſagitta eminus vel minimum aſſem collimare, fundiſque multa præclara gerere. Arma his ſunt miſſilia tela, utputa ſagittæ & haſtæ ſupra & infra ferrea cuſpide munitæ; quas ſummâ peritiâ admirabilique dexteritate eminus & cominus vibrant; enſes habent, quibus non punctim ſed cæſim feriunt, pugioneſque punctim lædentes; fundæ etiam apud ipſos maximo ſunt in uſu, quibus lapides eminus in hoſtes vibrant ſive adverſi ſeſe opponant, ſive ſe in fugam convertant. Quamvis autem rarus ſit apud ipſos ſclopetarum uſus, imò ab illarum ſtrepitu auribus digito obturatis, quaſi ab injecto fulmine deterreantur ac fugiant: nonnulli tamen ipſorum modo illis utuntur.

Cæterum his hominibus præcipuus ſcopus eſt, Caravannis inſidiari, vias prædandi cauſa obſidere, rapinis latrociniiſque victum quæritare, atque aliorum labore & ære acquiſita in ſuos uſus convertere, imò ſæpe annua Byzantini Principis vectigalia iſti deprædantur, urbes non rarò invadunt, viatoreſque, ſi inferiores eſſe contingat, bonis ſpoliant, aut impoſitam hominibus & ſarcinis mulctam,

mulċtam,priuſquam abire liceat, ſolvere cogunt: quippe qui liberi ſunt, nec Othomannum, neque alium quempiam Dominum recipiunt, nec ſupremo ulli obediunt principi, ſed ſine certo Domino in plures familias copioſiſſimas diviſi militant, ac ſuis illis familiarum principibus ſeu ducibus, qui auctoritate ac nobilitate cæteris præſtant, morem gerunt. Hæ quidem familiæ innumeræ ferè ſunt, quæ primi parentis cognomine, & agnomine diſtinguuntur: aliæ enim ſunt familiæ Abi-helal, aliæ Abi-Riſce; Abi Zaid, Abi-Sciobaib, & ſexcentæ aliæ, quarum ſingulæ ſeſe ſalutant nobiles, omneſque naturali quadam concordia æquo jure cenſentur. Horum cibus panis eſt ſubcineritius, obſonia lac recens, & acidum, caſeus caroque caprarum & camelorum, legumina ut lentes, fabæ, & alia hujuſmodi, mel, oleum, ac butyrum. Cæteras ciborum delicias non agnoſcunt præter oryzam, quæ in deliciis ſummopere apud illos eſt, tum quia ea terra nimis abundat, tum quia ineptè Mohamedis ſequaces confabulantur, ortam eſſe ex ipſius Mohamedis ſudore antequam mundo ſe manifeſtaret, mundum infeſtaret penè dixerim, cum thronum Dei circuibat in paradiſo. Deus enim converſus reſpexit eum, Mohamedes præ pudore ſudavit, tergenſque digito ſudorem, ſex extra paradiſum guttas miſit, ex quarum una roſa, ex

ſa,ex altera oryza productæ ſunt,ex reliquis quatuor, quatuor Mohamedis ſocii nati ſunt. Solent etiam frequenter nutriri pulmento quodam Heriſe dicto, quod ex tritico prius decocto conficiunt, poſt ſoli exſiccandum exponitur, tum in urna contunditur donec emundetur, poſtremò pingui carne ſimul coquitur, donec caro conſumetur, quod ſane palato non eſt ingratum. At Mohamedes pietatis larvâ, impietatiſque indutus, myſteria in his edendis requirebat, ſuiſque ſane omni ratione deſtitutis abſurda perſuadebat: affirmabat namque hoc pulmentum à Gabriele Angelo ſe edoctum fuiſſe, & utilitatem ejus, eodem Angelo teſte, in eo conſiſtere, ut renes corroboret. Quandoque Angeli juſſu Mohamedes ex eo edens una nocte pugnavit adverſus quadraginta viros, aliaſque quadragies indefatigatus rem cum fœminis habuit. Sanè hæc, anuum delirantium fabellas aut alicujus Moſlemanicæ ſectæ oſoris calumnias eſſe opinaremur, niſi præfatum authorem juris peritiſſimum eumdemque obſequentiſſimum Mohamedis ſectatorem ea omnia diſertè Arabico ſtylo, capite de quorumdam ciborum delectu & utilitate videremus referentem. Et quidem inſanus vir iſte ſuis delirans cibos perſuadebat edendos, qui ſibi placebant, idque Angeli auctoritate confirmabat: Inter cætera eſum cucurbitarum ſuadebat,

bat, ſed melongenarum cibus ſupra omnia ei placebat, qui teſte eodem, quem modò laudavimus, authore, hominum ſagacia aut imbecilla ingenia ex multo aut exiguo in edendis melongenis amore dimetiebatur, impudenterque hanc fruticem in paradiſo deliciarum ſe vidiſſe affirmabat, nam cùm ſemel vi eſſet carcere detentus (inquit Ben-ſidi Aali) Gabriel Angelus de cœlo deſcendens illum in deliciarum hortum, quem Gennet elenaam vocant, tranſtulit, ubi inter cæteras fruticem hanc vidit, poſcentique ab Angelo cauſam propter quam ibi eſſet conſita, reſpondit, quia Dei unitatem inter cæteras plantas, ac te verum eſſe Prophetam confeſſa eſt. Pluribus Iacub Ben-ſidi Aali pergit narrare cibos, quibus Mohamedes utebatur: uti dactylis, uvis, carnibus venationum, quæ omnia ut vana & ridicula omittimus. Quis enim unquam mortalium his quæ retulimus audivit vaniora? quis anilia hæc blateramenta non rideat? & indigna putet ut ſanæ mentis hominibus exponantur? & tamen miſera illa gens ignorantiæ tenebris circumfuſa has nugas ipsâ veritate certiores credit & amplectitur. Porrò eorum potus præter aquam, eſt camelorum caprarumque lac, quo & famis & ſitis ardorem expellunt. Et quamquam ob Mohamedis leges vinum multi non bibant, plerique tamen eorum egregiè generoſa vina apotant, & Chri-

ſtianorum Caravannas invadentes primo vinum expetunt.

Veſtitus verò ipſorum viliſſimi ſunt, & præter goſſypinum manicis ampliſſimis induſium, & penulam laneam caprinis aut camelinis pilis rudi admodum modo lineis albis nigriſque diviſim contextam, nihil quo ſe tegant, habent. Nudis ſæpiſſime pedibus incedunt. Nobiliores eorum pulchrioribus indumentis utuntur, & calceis, pauci autem caligis induuntur. Illorum lumbos cingit coriacea zona rubro colore ut plurimum infecta: capita verò albo tulipanto ſeu cydari goſſypina aut linea non multis ſpiris complicata involvuntur. Ipſorum fœminæ etiam fere nudæ incedunt, quæ goſſypino cyanei coloris induſio corpus, caputque linteo tegunt, faciemque velant. Illarum ornamenta ſunt inaures, monilia, torques, & annuli vitro aut alia vili materiâ confecta, frontem deinde, genas, labia, brachiaque cærulei coloris notis tenui acu factis tingunt, inficiuntque. Atque hæc ſint ſatis dicta de Arabibus Beduinis.

CAP. II.

Baghdadi ſitus, Reges, ſcholæ, ac viri nonnulli illuſtres.

BAghdad, quæ & Dar-aſſalam, ſcilicet civitas pacis dicitur, nomen à monacho

cho quodam dicto Baghdad, qui (teſte Ben-Caſen) Eccleſiæ in illis pratis erectæ inſerviebat, ſortita eſt. Dar-aſſalam verò, eodem auctore teſte, illam vocavit Abu Giaphar Almanſur ſecundus Chalifa Abbaſæus, qui eam anno ab Hegyra 150. expugnavit. Vrbs hæc veteris olim Chaldęæ, nunc Meſopotamiæ, quæ ab Orientalibus Diarbecr modò dicitur, regia eſt, quam prædictus Almanſur in ampla ſupra Tigrim planitie collocavit, duaſque in urbes diviſit, quas flumine interlabente ſublicius pons cymbis ſupra fluvium impoſitis conjungit. Hanc igitur hoc in loco extructam multis annis Almanſurus gubernavit, & poſt ipſum alii Chalifæ ut Negmeddin, Fadhl-allah emir-elmumenin & alii uſque ad 339. ab hegyra annum, quo eam rex Aadhdeddaule, & Saif-eddaule ceperunt, qui cum ſucceſſoribus ſuis eâ potiti ſunt, donec Othomannicus imperator Solymus multis copiis atque ſubſidiis in ſuam redegit ditionem, quam modo Baſcia multis Ianizaris militibus ſtipatus gubernat ac moderatur. At de his plura apud Ahmad Abi-Bacrum Baghdadicum in ſuis annalibus invenies.

Cæterum urbs hæc nobilis eſt ſcholis, quæ omni ſcientiarum genere floruerunt & adhuc florent. Hîc Ahmad Aſſalami poeta celeberrimus carmina

ſua

ſua ſcripſit, de quo rex ſæpe dicere ſolebat; en deorum nuncius Mercurius ad nos de cœlo delapſus. Hîc etiam Alpharabius celebris Philoſophus ac Medicus, quamquam ex hac urbe non ſit oriundus, ſed de Farab in Turcomannia non ignobili urbe, tamen & Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis imbutus eadem ibidem ſumma cum laude publicè profeſſus eſt, & poſt longos labores multis relictis in urbe auditoribus in Harran Meſopotamiæ urbem ſe recepit, ubi Ariſtotelis librum de auditu inveniens quadragies perlegit, & eidem libro ſupraſcripſit, vellem iterum legere. Hinc demum Damaſcum profectus obiit anno ab Hegyra 339. Hæc Ben-caſem in libro de viridario electorum.

CAP. III.

De Bochara Avicennæ patria, & ejuſdem vita, ac ſtudiis.

BOchara ab Europæis Bachora vetuſtiſſima urbs ad Euphratis fluvium, non longè ab oſtio, qua parte reſpicit Arabiæ deſertæ montes, ſita eſt. Patria eſt Honain Abu Ali Ben-Sina quem Avicennam Latini vocant, quamquam ejus pater ex Belch urbe de Choraſan fuerit; Ludovicus Nonnius fortè vellet eſſe Avicennam ſibi conterraneum, nam in ſua Hiſpania aſſerit Avicennam Cordubenſem

dubenſem eſſe : ſed Ben-Caſem diligentiſſimus author, qui virorum illuſtrium vitas ſcriptas reliquit, contrarium affirmat, cum Avicennam in quodam Bocharæ pago natum eſſe teneat anno ab Hegyra 370. Avicenna ergo his in partibus natus omnes ſtudiorum ſuorum gradus evaſerat, cum nedum octavum decimum ætatis annum attigiſſet, nam medicinæ ſtudiis teneris ab annis ſe dedit, inquit Ben-Caſem, adeoque in illis profecit ut ipſe primus auſus fuerit de Regum ac Principum ſanitate philoſophari, & apud illos medici officium exercere. Iſtud privilegium nulli ante ipſum medico fuerat conceſſum, quoniam illius terræ reges nulla medicorum ope utebantur ante Avicennam, ſed naturæ beneficio, aut aliqua herbarum vi ſecreta, ac tuta experientia ſanabantur. Cæterum Avicenna libros ferè centum, à ſe conſcriptos edidit, teſte eodem auctore ſupra citato: ſcripſit enim de Medicina multos libros, de Philoſophia nonnullos, epiſtolas familiares, theſaurum in explanationem nominum tum herbarum, tum lapidum; carmina quoque de anima, atque etiam de ſanitate conſervanda. Vixit annos 58. ac tandem anno ab Hegyra 428. in urbe Hamadan obiit.

Quidam tamen inter Orientales tanti viri gloriæ fucum offundentes, non ab Avicenna tot compoſitos fuiſſe libros

 aſſerunt,

aſſerunt, ſed à ſummo quodam medico, cui famulabatur, ita digeſtos, ac poſtea ab ipſo Avicenna exſcriptos & vulgatos; ſuâque opinionem hoc commento ſtabilire nituntur. Fuit (inquit) in partibus orientalibus inſignis quidam medicus, qui arte ſua cæteros omnes anteibat, ac inde ſummis principibus notus, tantum gloriæ & divitiarum cumulavit, ut ipſorum pleroſque opibus ac divitiis ſuperaret. Ea fama multi illecti ſuos filios huic medico diſcipulos dare atque etiam ut famularentur ipſi, magna vel mercede vel pretio vel precibus tradere conabantur, ſed ille, ne ſuæ doctrinæ ſecreta alii detegerent, nullos voluit arcanorum ſuorum cōſcios juxta ſe intra privatos parietes habere. Avicennæ mater, ſagaciſſimi ingenii mulier licet paupercula, hunc agreſſa medicum, ipſi ſuum filium famulandi gratia offert, ac ſummum ſe filiumque ſuum beneficium accepturos teſtatur, ſi quæ ipſe omnia ſolus facere non poterat, coquere herbas puta, pelves mundare, domum verrere, hæc per Avicennam fieri pateretur; ſurdum ipſum eſſe à natura ac perinde mutum, nihilque eſſe periculi, cur de ſcientiæ arcanis timeret. Ille mulierem vera dicere ratus, Avicennam tamen interrogat, qui à matre inſtructus tamquam aures non habuiſſet nihil reſpondit, ſeque ita ſtolide geſſit, ut eruditionis cujuſlibet incapacem animum habere fuerit viſus. Cum tamen die

quadam

quadam ille probare vellet, an ita duras aures haberet Avicenna, pelvem, qua eradendis pilis tonſores utuntur, à ſummo culmine deorſum mittit ad Avicennæ pedes, qui nec ad tantum ſonitum improviſum converſus, tamquam nihil audiiſſet, ſedulam demandatæ rei curam demonſtravit. Ab eo tempore medicus ille, certior factus Avicennam omnino & ſurdum & mutum eſſe, cuique nihil præcipi niſi per digitorum micationem, aut ſignis aliis poterat, ipſi in dies magis fidere cœpit, ac ſua ſcripta omnia, cum domo exiret, propalam in cubiculo reliquit, quæ clanculum ac ſagaci diligentia exſcripta, Avicenna matri fideliter cuſtodienda tradebat. Mortuo tandem poſt longum tempus medico illo, Avicenna ſilentium linguæ prodidit, medicinam profeſſus, quæ didicerat ad praxim reduxit, & vulgatis præceptoris ſui ſcriptis tanquam ſuis, tantã doctrinæ famam apud ſuos comparavit, ut in ſummorum principum notitiam nec non amicitiam venerit, adeo ut omnes ipſum ſuæ ſanitatis ac vitæ arbitrum libenter evocarent. Hæc illi, quæ utlibet ſe habeant, aliorum judicium eſto.

CAP. IV.

Damaſci nomina, Deſcriptio, Vbertas terræ, atque Viri illuſtres. Damaſcenum ferrum. Vita Poëtæ Almotenabbi.

DAmaſcus Arabibus Sciam & Demaſc, Syris Darmſuc eſt. Sciam à Sem Noë filio multi nomen ſortitam eſſe volunt; Demaſc autem à Demaſco Canaani filio, qui eam erexit, nomen deſumpſiſſe A-bi-Attaher affirmat. Darmſuc denique quaſi doro ſumoco, hoc eſt terram rubram Syri vertentes, in qua Adam formatus eſt, non malè appellant. Metropolis illa, totius Syriæ nobiliſſima, quæ qualibet frugum copiâ mirè luxuriat, ſive arborarios fructus, ſive vinearum proventus requiras. Olivetis verò ditiſſima eſt, cumque omnium ferax ſit, tum vel præcipuè locupleti ferri venâ dives eſt, cujus temperatura adeo fœlix eſt, ut maximæ apud omnes nationes ſit auctoritatis, nã præter Abana & Pharphar amnes, quorum aquis invictâ armorum temperiem parant artifices, peculiaris ipſis eſt etiam ratio ferri temperandi, quod tali induſtriâ paratur, ut neque ſcutum, neque galea, vim ipſius remoretur. Suburbani etiã agri amœniſſimi, & aquarum copia, quas Naaman Syrus ſupra cæteras laudibus celebravit,

celebravit, curæ lenitas, aëriſque clementia urbis fœlicitatem ita pandunt, ut meritò à ſcriptoribus paradiſus terreſtris nuncupetur. Vrbs hæc in ampla ſita eſt planitie ad Libani, ibi Hermon dicti, radices, ſex millia paſſuum ambitu ſuo continens, totaque duplici muro cincta, fortique munita arce, à quodam Florentino in urbis umbilico quadratæ formæ conſtructa, muris foſſiſque cincta, ad quam per unicam tantum portam Orientali ex parte ponte ſublicio intratur. Hanc deinde ornant limpidiſſimi ac ſaluberrimi fontes, nundinarum fora ampliſſima arcuato ſed magnifico opere conſtructa, publica ædificia uti ſunt meſcuitæ, balnea, & peregrinorum hoſpitia, textrinæ demum ubi ſerici textores & polimitarii artem textoriam omnis generis ſerici exercent. Hanc nobilem urbem ſubactis Mamaluchis & Ægypti imperio devicto à Selimo, anno ab Hegyra 922, Baſcia Ianizerorum militum copiis inſtructus moderatur. Hîc adhuc ſpectare licet locum ex quo Spiritus ſancti tuba Paulus demiſſus eſt prope portam, quam Chriſtiani vocant portã Divi Pauli, ſimulq; cernere domum Ananiæ, ubi Beatus Paulus illuminatus, & fontem ubi baptizatus eſt. Iuvat etiam cernere locum, ubi, ut incolæ tradunt, occiſus fuit Abel à fratre nequiſſimo Caino, qui locus diſtat uno ferè milliari ab urbe. Hac item in urbe, omnibus anteactis ſæculis, ſtudia litterarum at-

que diſciplinæ floruerunt, doctiſſimique viri in ea extiterunt, inter quos Sanctus Ioannes Damaſcenus, qui vitæ ſanctimoniâ atque Theologiæ doctrinis claruit. Eam quoque illuſtravit Poëtarum Arabum facilè princeps Almotanabbi, qui literis & armis præſtantiſſimus erat, ac propterea ſæpè de ſe dicere ſolebat carmine Arabico: *Equi & campus me cognoſcunt: bellum, concertatio, charta & calamus.* Hic Mohamedi omnibus viribus aſſimilari ſtudebat, ſed res non eumdem habuit eventum. nam ille cum eleganter, ornateque ſcripſiſſet Alcoranum, hic tum ſolutâ tum ligatâ oratione mirum in modum excelluit: ille armis, hic arte militari præſtitit, ille Nabion id eſt propheta nuncupatus eſt, hic Motanabbi, hoc eſt prophetans voluit appellari: At ille vivens & poſt mortem infinitos ferè populos ſeduxit, hic verò dum vitam ageret non paucos ad ſe traxit, tamen poſt obitum anno 354. ac ætatis ſuæ 51. omnes ejus ſectatores diſſipati ſunt. Huic ſanè defuit calliditas illa atque pietatis larva, quibus hominum mentes impoſtor ille iniquus obcæcavit.

Refert quoque Ben-Caſem, præſtantiſſimum Philoſophum Mohamedem Abi-Abdillah publicè hac in urbe Philoſophiæ ſtudia profeſſum eſſe, ſuſtinuiſſeque omne contrarium convenire cum ſuo contrario aliqua in re, excepto

cepto Deo, qui nulla in re cum creaturis poteſt convenire, ſcripſiſſeque ingens volumen de unitate exiſtendi principiorum: Tandem obiiſſe Damaſci anno ab Hegyra 638. ætatis ſuæ 78. Innumeri ſunt penè alii, qui hac in urbe floruerunt.

CAP. V.

Haleppi nomina, encomia, ſitus, emporium, divitiæ, portus, atque mercatores. Muſcus, & aliæ eorundem merces.

HAleppus, quæ ab incolis Haleb ſemper dicta eſt; Bellonio Hierapolis eſt, teſte Mylio; Berrœa Gyllio, & Antiochia Villanovano, eſt totius Orientis celeberrimum & nobiliſſimum Emporium, populi frequentiâ, ac mercium opulentiâ cæteras Syriæ urbes longè ſuperans. Ad hanc urbem Perſæ, Armeni, Orientales Indi, atque ferè Europæi omnes undique terrarum confluunt. Portus ejus, a quo trium dierum ſpatio diſtat, Eſcandaruneh ab incolis, ab Europæis Alexandreta (utrumque enim nomen parvam Alexandriam denotat) nuncupatur, ad quem naves gregatim ſe undique locorum conferunt. Vrbs tota tribus amœnis collibus diſtincta jacet, ita ut pars ejus in planitiem porrigatur, pars

altera in clivos amœnos blandè aſſurgat, amnis deinde haud magnam aquarum copiam ſecum trahens, urbem alluit in rivulis ex iſto per hortos atque ſata arte diductis irrigat. Agro fœliciſſimo feraciſſimoque frumentorum, olivarumque cingitur. At præcipue ditat urbem arborum mororum ampliſſima planities, quibus ingens bombycum copia alitur. Vrbis verò ambitus ſex millium paſſuum continet, quamquam mœnibus foſſiſque cincta ſit, quæ hoſtilem impetum ſuſtinere nequeant, fortiſſima tamen arce, quæ urbis medium occupat locum, defenditur ac munitur. Hanc anno ab Hegyra 922. hoc eſt anno ſalutis 1515. Soltan Selim in ſuam poteſtatem redegit, & infinitas penè divitias in ea reperit. Nam auri argentique facti, teſte Sciarfeddino, qui duobus tomis Othmanorum victorias complexus eſt, ſupra myriadem habuit centum quinquaginta millia, quæ ſumma tunc temporis erat maximi momenti; infecti verò ingentem vim: holobrezitæ verò ac ſericæ veſtes; holoberæ præſtantiſſimæ, & coccineæ ſupra trecenta millia, gemmarum etiam atque unionum ſummam copiam. Denique prętèr alias innumeras divitias, armamentaria octo armis inſtructiſſima poſſedit, quæ omnia ita militum animos erexerunt, tantumque virium ac roboris dedere, ut eodem anno multas alias provin-

cias.

cias audaciſſimè aggreſſi ſint & ſubjugarint. Non minori tamen ſplendore atque opulentiâ nu c fulget, quam priſcis temporibus, imo modo ædificiis atque negotio fœlicior eſt & illuſtrior, adeo ut poſt Conſtantinopolim & Cairum inter Othmanis ſubjectas urbes primas teneat, cujus ſi gloriam, ſi opes, ſi rerum omnium abundantiam ſpectes, Reginam inter Orientis urbes eminentem dixeris. Caravannæ huc undique terrarum conveniunt, ut ſimul Meccam & Medinam peregrinationis cauſâ petant. Huc etiam ſæpe Sultanni Turcarum exercitus conveniunt, & non raro Imperator ipſe; ac ſi ſola capax eſſet in univerſa Syria tantorum exercituum alendorum, qui ibi diu commorantes, vires reficiunt, ut deinde invadentes Perſam facilius expugnare poſſint. Incolæ ejus ſunt ferè ex omnibus nationibus, nam in ipſa degunt Muſlemanni, Maronitæ, Græci, Armeni, Neſtoriani, Iacobitæ, & nonnulli Coptitæ, Iudæique quamplurimi.

Mercatura in ea exercetur nobilis, nam cum ſumma bombycum copia ut dictum eſt in ejus ampliſſimo territorio alatur, maxima ſerici vis reperitur. Lapilli etiam non pauci, uti Margaritæ, Carbunculi, Sapphiri, Adamantes, Sardonyches, aliæque lectiſſimæ gemmæ copiosè hinc diſtrahuntur. Bezuar item lapis ſubniger ad viriditatem tendens, olearum ferè conditarum referens colorem,

quem caprarum ſylveſtrium è ventre Indi Orientales Perſæq; collimitanei eruunt. Ambarum etiam ac Bengeüinum, ſtorax ſeu ſtyrax, Maclabus, Aloës lignum, ac Libanicum, & Baghdadicum manna, varias in partes abundè diſpenſantur. Muſcus præterea Orientalis præſtantiſſimus & longè Occidentali melior, qui ex parvo ſubrubri coloris animali hoc modo extrahitur: Baculo animal pluribus uno eodemque loco ictibus verberatur, adeo ut ſanguis in unum concurrat locum, ac tum pellis inflata ſanguiniſq; plena ita ſtrictè ligatur, ut inde ſanguis concluſus egredi nequeat: pellem illam in unam aut plures veſicas contractam exſiccari ſupra dorſum animalis ſinunt, donec abſq; ulla vi nulloq; adhibito inſtrumento eæ veſicæ cadant, ubi ille ſanguis ſuaviſſimus, in muſcum beneolentem poſt unum menſem converſus reperitur.

Hinc oriundus eſt nobilis ille Grammaticus Othman Abu-Homar, cognomine Ben-ellhhageb celebris, qui Caſiam atque Sciafiam de grammatica ſcripſit, qui poſt ſpatium temporis ſe Damaſcum recepit, ubi obiit anno 672. ætatis ſuæ 72.

CAPVT VI.

Libani etymon, laudes, Cedri deſcriptæ, vina, loca munita, flumina, veteres ac novi incolæ, ubi de Maronitis atque eorum Patriarcha.

LIbanus ab Arabibus Lobnan, à Syris Lebnon dictus, mons eſt in Syria celeberrimus, ſic denominatus à vocabulo Syriaco Lbunto, quod Thus denotat non verò albedinem. Is Cedrorum ſuaveolentia, Machlabi plantarum, atque thuris præſtantiſſimo odore, cæterarumque arborum atque florum fragrantiâ ita abundat, ſicut in Canticis paſſim videre eſt, ut inde potius ſuaveolens quam albus denominandus ſit.

Montis hujuſce laudes atque gloriam Sacræ paginæ ſatis ſuperque celebrant. nam de hoc in omnibus ferè Bibliorum præſertim Prophetarum libris ſit mentio. Hinc nati ſunt tot Satrapæ, tot filii Enachim, totque Gygantes. Ad latera ejus habitabat Amorrhæus, Pherezæus, Hethæus, & Evæus, atque omnes ferè fortiſſimi Hebræorum adverſarii. Hîc erat illa domus ſuperbiſſima, ſeu Libani turris centum longitudinis cubi-

cubitorum porrecta, quinquaginta latitudinis, cujus rudera adhuc in ipſo Libani ſaltu viſuntur. Hîc Cedri extant ſuaveolentes, ex quibus ſapientiſſimus Salomon ligna pro Dei templo excidenda à decem virorum millibus curabat. Hîc cernes Hortorum fontem placidiſſimum, qui Syriacè ab incolis Nahro Kadiſcio, id eſt flumen ſanctum vocatur, cujus copioſiſſimam ſcatebram vidimus, atquè ex ejus gelidis aquis placidè hauſimus. Hîc ſpectantur non hominum arte, ſed naturæ quædam cõtra hoſtes intra vivum ſaxum munimina ampliſſima, quorum oſtia belli tempore atque obſidionis, vel qualibet muliercula adverſum exercitum integrum facilè defendere valet. Vniverſus autem montis ambitus, ut incolæ ferunt, 600. ferè paſſuum millia complectitur. Soli cœlique mira felicitas, ſiquidem mons iſte non inveſtis aut ſterilis eſt, ſed denſis virentibuſque nemoribus ornatus; campi ſubjacentes uberrimi, & opimæ meſſis feraces, ac omni frugum genere mirâ luxuriâ abundantes, aquis perennibus irrigui, quibus peregrinantes ſitim paſſim levare poſſunt. Vina proferunt generoſiſſima ac nutritiva, grata guſtui, non ingrata ſtomacho, corpori ſalubria, quæ nullum ventri tumorem, veſicæ nullum gignunt impetum, ſed cibum concoquunt in ipſo ſtomacho, peccanteſque abſtergunt humores, & naturæ vires fovent, adeo ut meritò Oſeas capite 14.

cecinerit, *Memoriale Iſrael erit ſicut vinum Libani.* Quinetiam ipſum Noam vineam plantaſſe hoc in monte,in quodam pago Saidania dicto, Deiparæ Virgini ob imaginem à Divo Luca depictam ſacro, Noſtrates plurimi prodiderunt. Fluvii ex eo plures emanant, & præcipui ſunt Iordanes qui ex duobus fontibus Iur &Dan, aquis & vocibus commiſtis nomen atque ſcaturiginem trahit: Pharphar & Abana, atque Tripolis fluvius. Vberrimè etiam hoc in monte creſcunt cupreſſi, pini, buxi aliæque frondoſæ arbores. Cedri preſertim, quarum ſpeciem ut oculatiſſimi teſtes deſcribemus. Cedrus ſæpe à Salomone decantata creſcit ſummo in monte, cujus ſi altitudinem ſpectes, pino excelſiorem, ſi craſſitiem, quatuor interdum,interdum quinq; viri brachiis conjunctis truncum amplecti non poſſunt. Ramos non ſurſum elevatos, ſed omnes per tranſverſum porrectos, longè lateq; ſe diffundentes ordine quodam pulſant, ita ut ſit ramulus ramulo & folium folio ſic ſpiſſe conjunctus,alterique copulatus, ut non naturâ ſed arte mirabili extenſos exiſtimes, atque ita multos & ſedere & ſupinos jacere ſupra hos ramos non ſemel vidimus. Folia verò denſa inter ſe frequentiaque, anguſta tamen ac dura, ſpinoſa ſed perpetuo virentia. Lignum nodoſum & paulò contortum, durum tamen, incorruptibile, ac ſuaveolens. Fructus Cypariſſi conis non abſimiles, qui

gummi

gummi tenax ſed mirè fragrans tantum emittunt. Hunc ergo montem Maronitæ incolunt, qui à Divo Marone Abbate vitæ ſanctimoniâ pietateque perilluſtri, atque ab ejus diſcipulis originem trahunt, vel ut quibuſdam placet àMaronia terra. Vtrumlibet tamen verum fuerit nec ne, parum liquet, non deſcendunt tamen ab ullo Marone Hæreſiarcha, cum nullus iſtius nominis extiterit, neque unquam Maronitæ hæreſeos labe coinquinati. Effutiant quicquid voluerint nonnulli adverſarii, qui ob inanem quandam mundanamque delectationem, ſemper proni ad aliena ulcera lambenda videntur; malunt enim falſa mendaciis confirmata ſcribere, quam veritatem indagantes bene de aliis ſentire.. At his ſilentium imponemus, donec alia ſeſe opportunior offerat occaſio.

Iſti igitur totum montem prædictum ſoli occupant, magnamque argenti vim ſingulis annis Domino illius terræ præter ordinaria vectigalia, ne ullus cum ipſis habitet alienæ religionis cultor, neque ullus, ut in partibus Græcorum fit, rapiatur in captivitatem pro Bizantino principe infans, impendunt. Vbi omnia Chriſtianæ religionis Catholicæ officia adminiſtrare liberè poſſunt, immo & campanis ſoli utuntur, cum cæteris nationibus ſint interdictæ. nam cum ſemel in Moſlemaniſmi primordiis ad campanarum ſignum collecti Chriſtiani Moſlemannos

mannos invaſiſſent, clademque ipſis ingentem intuliſſent, illis omnino regionibus campanarum uſum interdixerunt, quas in ſuum dominium atque poteſtatem poſtea redegerunt. Maronitarum Patriarcha, qui Antiochenus eſt, ſummâ obſervantiâ atq; obſequiis colitur ab univerſo populo, ipſeque cum univerſo clero ſuo maximo amore ac reverentia fertur in ſanctiſſimum Romanum pontificem, quem & ſummum paſtorem, Chriſtique in terris legitimum atque unicum vicarium agnoſcit atque fatetur. Sacra celebrat linguâ Syriacâ, atque reliqua quæ ad Dei cultum pertinent. Multa alia de his vide apud eos qui de ſanctiſſimo ſepulchro, ejuſque viſitatione in Palæſtina, quam modò terram ſanctam vocant, peregrinationes ſuas ſcripſerunt.

CAPVT VII.

Arabiæ deſertæ limites. De Mecca, ejus Dominio ac territorio, deq; templi ipſius origine, ſtructura, ſacrificiis & ad illud peregrinationibus. Arma ac pugnæ Meccæ interdicta.

MEcca urbs Arabię deſertæ matrix nobiliſſima, quæ & Becca dicta reperitur in Alcorano, à Zardo falsò Arach denominatur: Arach enim ad

eſt ad Euphratis ripam, Mecca verò ut diximus in Arabia deſerta non longè à linea æquinoctiali conſtituta. Quidam autem ſitam eſſe volunt in Arabia fælici, ſed valdè aberrant à communi Arabum Geographorum ſententia, nam & hic noſter author ait, arbore quadam ſeparari terminos Iaman à terminis Meccæ, & Ben-Caſem dividit Hagiaz Peninſulam quæ territoria Meccæ ac Medinæ complectitur, à Iaman, & communiter apud orientales regimine diſtinguntur, Hagiaz enim à Domino Meccæ, Iaman verò à Baſcia gubernatur. Hæc igitur apud Moſlemannos ſanctior urbs eſt, non ob Mohamedis ſolum revelationes, quas ibi habuit, ſed præcipuè ob fanum illud, ſi religionē ſpectes profanum, ſi ſtructuram ſuperbiſſimum, & hoc Kabe (ſcilicet quadrata domus) Mohametæi indigitant, quod fabulosè ferunt primò ædificatum fuiſſe ab Angelis, & ab Adam ipſo ſæpe viſitatum; ne tamen aquis una cum terra obrueretur, tranſlatum ad ſextum cœlum quod Dar-Aſſalam ſcilicet habitaculum pacis Moſlemanni vocitant: poſt diluvium verò Abraham aliam domum priſtinæ omnino ſimilem ædificavit, quia umbra illius ei de cœlo miſſa eſt. Hæc Iacub Ben-Sidi Ali. Et quidem hæc eſt ſacellum quoddam non nimis amplum quadratæ figuræ, ut nomen ipſum exprimit, quatuor portis adapertum, per quarum unam patet miniſtris aditus, aliæ verò ſemel in

anno aperiuntur; totum vero auro fulget & veſte Holobrezita vndequaque tectum, & ne ullus cominus accedat ad parietes, ferro pereleganti opere elaborato, ipſos circum dederunt, intra illud nemo mortalium ingreditur præter ſeniores quoſdam qui ſacelli curam gerentes longâ ad pectus demiſſa barbâ diu noctuque ibi manent. Iuxta hoc ſacellum deinde cernes ampliſſimam aream marmoreis ſtratam lapidibus, quam in gyro ornant octo ingentes faces, atque triginta ſex aureæ lampades perpetuò accenſę. Patent ad hanc aream ſimulque ad ſacellum prædictum tres aditus ſeu ſemitæ, quibus tam viri quàm fœminæ nudis incedētes pedibus perveniunt ad ſacellum, quod ſummâ reverentiâ ſuo modo atque cultu preces ſuas obmurmurantes ſepties circumeunt, angulos deoſculantur, gemunt, & Abrahami ac Mohamedis auxilium patrociniumque implorant. Ambit deinde totum hoc ſpatium perelegantis ſtructuræ quaſi murus ſuperbum ædificium, in quo ſexdecim portæ numerantur principaliores, per quas patet ingreſſus egreſſusque, ubi infinitæ cernuntur lampades appenſæ, & incredibilis magnitudinis faces ſeu luminaria accenſa. Intra hoc ſpatium, nempe inter columnarum atque pilarum ordines, officinæ ſunt Aromatopolarum, lapillorumque ac holoſericarum veſtium vendentium, quorum tanta eſt copia ut vix exprimi linguâ poſ-

ſit. India namque major quæ ultra Gangem eſt, ſummam unionum copiam atque lapillorum mittit, Bengala & Arach ſericas veſtes copioſè liberaliterque ſuppeditant, Arabia fœlix etiam ſuos lapillos atque pretioſa aromata adminiſtrat, Æthiopia denique eadem affluenti atque larga manu adfert. Non enim hîc aut templum aut urbem eſſe diceres, ſed totius mundi nundinas ſimul collectas intuereris. Videres hîc, niſi rideres potius, hominum turbam deoſculantem atque amplectentem maximo cum ardore & affectu lapidem quemdam, quem ipſi Hagiar Alaſuad, ſcilicet lapidem nigrum, vocitant. Ajunt enim hunc lapidem eſſe margaritam ex paradiſo, cujus lumen, univerſum Meccæ territorium illuſtrabat, quæ tamen ob hominum ſcelera denigrata eſt. Coram hoc Mohamedes, teſte Iacub Ben-Sidi Aali plorare, dolere, veniam peccatorum à Deo implorare, gemituque ac lacrymis auxilium contra hoſtes poſcere præcipiebat. Poſtquam ſacellum illud, atque lapidem prædictum inviſerunt, ſe ad aliud intra templum ſatis amplum ſacellum conferunt, ubi puteus eſt, dictus Zam Zam; & eſt, inquit auctor præfatus, fons ſeu ſcatebra quæ fluxit ſub pedibus Iſmaël dum gemeret ſitibundus, quam Hagar primò videns filio ait linguâ Copticâ Zam, Zam, hoc eſt, ſiſte gradum. Ex hoc puteo multi ſunt qui aquam exhauriunt, atque dant

pere-

peregrinis, quibus præceptum eſt corpus & caput eadem aquâ ter ſe lavare, atque ex eadem bibere, ſecumque ſi poſſint deferre, Deumque orare ut ſibi ipſis ſanitatem concedat, veniamque peccatorum tribuat. Huic ſtructuræ accedit nobilis diſciplinarum Academia, beneficio & munificentiâ Solimanni anno ferè ab Hegyra 949. erecta, qui & ſumptibus architecturam mirabilem & proventibus lyceum ipſum ditavit.

His templi viſitationibus peractis peregrini omnes decimo ab urbe milliari ad templum quoddam ſupra collem extructum proficiſcuntur, eoque turmatim confluentes, pro conditione atque ſtatu, unum aut plures arietes ad ſacrificandum emunt. Et quia multi eſſe apud Moſlemannos ſeu Mohamedis ſectatores ſacrificia inficiantur, fideliter hîc quæ Iacub Ben-Sidi Aali de cæremoniis, conſuetudinibus, victu & veſtitu ſuorum docet, proponemus. Sic enim loquitur; Dhahhia (ſic vo-
„ cant Arabes ſacrificium) eſt jugulatio
„ quadrupedum in Dei oblatione & cul-
„ tum, eaque ſunt agni ſex aut ſep-
„ tem menſium ad minimum, cameli
„ quinq; annorum, vituli vero duorum.
„ Maſcula eligantur præ fœminis, ea-
„ que munda, candida, nullaque labe
„ naturali aut violenta infecta: ſint
„ quoque pinguia, corpulenta, & corni-
„ gera. Vnuſquiſque tenetur ſuas victi-

„ mas propria manu jugulare ac diſſecare, aut ſaltem ſi jugulationi adeſſe nō „ poſſit ob aliquas urgentes neceſſitates, „ alios ſubſtituat, qui id ſuo loco præ„ ſtent; ſinguli enim antequam quicquam „ manducent particulam tenentur aliquā „ ex victimis edere, reliquum vero ſi poſ„ ſint, pauperib⁹ hilari mētē elargiri. Qui „ ad has oblationes admittuntur, unum „ offerant arietē pro ſe, alium pro mor„ tuorum animabus, alium denique pro „ Mohamede, ut in die judicii a calami„ tatibus eos liberet. Hæ victimæ Deo of„ feruntur (inquit prædictus auctor) ad „ Abrahami imitationem, qui Iſmaelem „ filium ſuum Deo immolare voluit, qui„ que urbe cum filio egreſſus, duxit eum „ ſecum ad quemdam collem (quem illi „ vocant Mena) ubi Deo ipſum in victi„ mam offerre volebat, ſed cum gladius „ ſcindere ejus collum non potuiſſet, ap„ paruit intra manus ejus aries candidus, „ pinguis, & corniger, quem Deo pro fi„ lio immolavit.

Hîc dum talibus ſacrificiis peregrini incumbunt, Arabes Beduini, ſeu deſerti cultores, frequentes, ac veluti ſturni ſpiſſi Caravannas aggrediuntur, eaſque deprædantes ſtatim in aſperos colles & loca invia tali velocitate ſe recipiunt, ut eos non currere ſed volare diceres. Neque ſolum peregrinos invadunt, ſed cum poſſunt urbes, pagoſque diripiunt, & quamquam in territorio Meccæ quod

ex parte oriētali ſex occupat milliaria,ex ſeptentrionali duodecim, ex occidentali 18, ex meridionali denique 24, omnino arma interdicantur, ideoque Mecca & Medina Alharamain vocentur ſcilicet duo loca in quibus pugnæ atque arma interdicta ſunt, tamen iſti nunquam à bello, vaſtitate, ac domorum vrbiumque deprædatione deſiſtunt, propterea ſæpe peregrini in iſtis locis arma ferre coguntur, ut inimicorum vim atque audaciam repellere poſſint.

Meccæ territorium ob aquarum pluviæque penuriam,ſterile admodum atque infœcundum perhibetur, ideoque olera pauca, pauciſſimæ plantæ in ipſo conſitæ cernuntur, non enim incolæ aut vinearum deliciis, aut denſorum nemorum amœnitate, hortorumque irriguis fontibus virentium fragrantia fruuntur, ſed perpetuo æſtu, perpetuiſque ſolis ardoribus tam terra quam indigenæ torrentur. Et hæc eſt forte cauſa, propter quam arborum ramos, ſi qui ſint, apud ipſos frangere, fractoſque deferre nefas eſſe ducant. Tantum balſami arbuſta ex urbe Cairenſi huc delata fœliciter creſcunt, atque modò ita ſunt propagata,ut omnis ſuaviſſimus balſami liquor nonniſi ex hac urbe per univerſas regiones copiosè affatimque diſpenſetur. Hîc deinde ſumma columbarum copia invenitur,quæ quia ſunt de genere atque ſtirpe ejus quæ ad Mohamedis aures (ut

Moſcmanni nugantur) accedebat, eo pollent privilegio atque authoritate, ut non ſolum eas occidere, ſed aut capere, aut fugare nefas eſſe exiſtiment.

Hujus urbis dominium, univerſamque Medinæ terram, quaſi hæreditario jure poſſidet Scerifus quidam, qui Alamam-Alhaſcemi, id eſt, dux ſeu anteſignanus Haſcmæus nuncupatur, qui de Haſcem Mohamedis proavo originem trahit; & quamquam olim Ægypti Sultanorum, ac modo Othomannorum pareat imperio, nunquam tamen ſuo dominio auctoritateque fuit ſpoliatus, immo Othomannus imperator non ſe Meccæ Medinæque aut Dominum aut imperatorem, ſed ſervum humilem perhibet. Scerifus igitur iſte, qui etiam Emir, quaſi Meccæ rex ſeu imperator nominatur, quamquam nõ paucos habeat proventus, multaque ſint peregrinorum munera, aliorumque principum dona, ob affectantium tamen imperium, fratrum diſſenſiones, Arabumque Beduinorum continuas pugnas invaſioneſque, ſemper ferè pauper eſt. Hanc enim ob cauſſam annuorum Ægypti vectigalium tertiam partem, atque ut peregrinantes ad Meccam ab Arabum invaſionibus protegantur, Othomannus imperator elargitur.

CAPVT VIII.

Medinæ etymologia. Mohamedis origo, fuga, fraus, dominium, ſepulchrum, uxores, liberi, ſocii. Mohametanorum æra; diſſenſio inter Perſas & Turcas.

MEdina ſcilicet urbs per antonomaſiam dicta, & Medinat-Alnabi, hoc eſt civitas prophetæ, quia Mohamed primo cum Meccam patriam deſerere coactus eſſet, ſe in hanc urbem quæ Iathreb dicebatur recepit, ac ejus dominus factus eſt. Non igitur quia ex ipſa ſit oriundus, ut multi male ſibi perſuadent, Mohamedes dictus fuit Medinenſis: ſiquidem Meccæ natus, ibique educatus, tum demum ibidem ætatis ſuæ anno 40. & Alexandri Magni 933. ut notat Ben-Caſem, cœpit maledictam & execrabilem ſuam evomere doctrinam, & clam primo, deinde palam, impudentiæ larvis indutus, novas opiniones ſpargere, novaſque leges diſſeminare auſus eſt. Hoc ut ad magiſtratus aures pervenit, publico edicto tanquam urbis peſtis ejectus eſt, anno ætatis ſuæ juxta Ben-Caſem ſententiam 52. juxta vero Abdillatif Ben-Iuſof, 53. ad hanc urbem, quæ tunc tem-

poris Iathreb dicebatur, fugit, & ab hac fuga quæ Arabicè Hegeraton, aut Hegera dicitur, æram Moſlemanni deſumunt ſuam, quæ incidit circa annum Domini 622. Et quamquam hic annus, qui Chriſticolis eſt 1619, ſit ipſis 1028, quia tamen juxta annos lunares, quos 354. diebus conſtare docent, enumerant, aliquot menſibus ſupra 31. annos circulus lunaris ſolarem hucuſque exceſſit. Vnde menſes illorum errantes ſunt, ac incerta ſede vagantur.

In hac igitur urbe arte, dolo, ac fucatis verbis paulatim ad ſūmos evectus honores: excuſſo ſubjectionis jugo & Eccleſiaſticus atque Politicus Princeps eſt declaratus. Is ubi primum ſe ad tales honores evectum eſſe ſenſit, amicitiam multorum ſibi conciliare ſtuduit, ac ſimul ſuas leges palam publiceque promulgare. Secundo itaq; anno ſuæ fugæ cœpit jejunii leges ſancire: Tertio vinū ſuillamque carnem interdicere, & ſic deinceps ſua omnia deliria, novæ doctrinæ ſpecie promulgare, dominiumque quod uſurparat ſtabilire, ita ut intra octavum à ſua fuga annum, Munam urbem & Meccam patriam à qua fuerat turpiter expulſus, in ſuam ditionem redegerit, & ſic audacter ad alias conquirendas regiones ſuamque infamem legem promulgandam perrexerit.

Quod vero ad Mohamedis uxores attinet, quamquam quatuor in matrimonium

nium eũ dux'ſſe Ben-Caſem aſſerat,multas tamen pellices, pluresque concubinas add:d ſſe dicitur; nec mirum. nam cap. de Vacca, quod Surato-Ibaqra indigitatur, ſuis præcepit, Mulieres ducite ſingulas, binas, ternas, quaternaſque, pellices verò concubinaſque tot poſſidete, quotalere poteſtis. Quod ſi tot fœminas aliis permiſit, cur id ſibi prohiberet? cui uni decem prophetarum in coëundo vim ac robur Deum conceſſiſſe (teſte Ben-Sidi Aali) impudenter jactabatur: immo quaſcumque ſcortationes ſalax vir iſte, effrænus, ac planè belluinus, quęcumque contra naturam ſcelera, ac ſtupra, quæ ſceleſtiſſimè patrabat, in Deum Angelumque Gabrielem referre non verebatur. Deum enim ea omnia Angelo dictante ſibi conceſſiſſe audacter gloriabatur. Porrò uxorum legitimarum prima Chodaige dicebatur, de qua duos ſuſcepit filios, & filias quatuor: Zainab ſcilicet & Fatema, quam in uxorem duxit Aali: tertia Om Calthum, & quarta Rakià, quas ambas in matrimonium duxit Abu-Becr. Secunda uxor nuncupatur Aiſce filia Abi-Bacri primi Chalifæ, quæ tantum erat ſex annorum, teſte Ben-Caſem, dum Mohamedes illam in matrimonium duxit, & hanc matrem fidelium Moſlemanni appellant, quæ præter linguarum cognitionem hiſtoriis Arabum evolvendis diligenter incumbebat, & hæc valde Mohamedem diligebat, laudi-

buſque ſemper efferebat. Tertia fuit nomine Maria quæ Mohamedi peperit Ebrahim, qui Caſem cognomento erat, indeque paſſim Mohamedes vocatur Abulcaſem; alii tamen volunt alium fuiſſe Ebrahim à Caſem, & conſtanter hanc opinionem amplexus eſt Ben-Abdillatif ſed contrarium Ben-Caſem tenet; atque demonſtrat, Mohamedem tres tantum filios maſculos habuiſſe, Ebrahim ſcilicet ſeu Caſem, qui octodecim menſibus tantum vixit, Tajeb, ac Taher, quos Chodaige procreavit, & ambo in cunabulis perierunt. Vltima denique Mohamedis uxor Zainab appellatur, & hanc etiam fidelium matrem multi vocant, quæ prius fuit uxor Zaidi Ben-Harteh Mohamedis Domini, eodem Ben-Caſem teſte, quam à Domino repudiatam lætus duxit Mohamed in uxorem.

Socios ſeu conſiliarios habuit quatuor: Primus fuit Abdollah qui & Abi Bacr dictus, iſque intimus Mohamedi ac ſyncerus amicus. Hic cum ditiſſimus eſſet, propriâ pecuniâ largè & liberaliter Mohamedis neceſſitatibus ſubveniebat, quo tandem mortuo ei in dignitate ſucceſſit, atque primus Chalifa ſive ſucceſſor extitit. Obiit anno ab Hegyra 13. & ætatis ſuæ 63. atque propè Mohamedem in eodem tumulo ſepultus eſt. Secundus ſocius, fuit Homar filius Chattab, cognomento Faruq. qui Abi

Bacro

Bacro ſucceſſit, & decem annis ſexque menſibus ſucceſſoris officio functus eſt. Iſte primus fuit, qui rex fidelium vocatus eſt, ac Moſlemannorum Annales ſcripſit, & Alcoranum in volumen redegit, & qui Ramadani jejunium obſervari curavit. Denique eodem citato auctore teſte, occiſus eſt anno ab Hegyra 23. atque propè Abi Bacrum ſepultus. Tertius ſocius fuit Othmân, qui tertius Chalifa extitit, & duodecim quibus regnavit annis, in ſuam ditionem Cyprum, Naiſabur, Maru, Sarchas & Mauritaniam ſubegit, ac demum anno ab Hegyra 35. obiit, ſepultuſque eſt in urbis cœmeterio. Quartus denique ſocius atque Chalifa fuit Aali, qui Emir Elmumenin etiam dicitur, hoc eſt rex fidelium. iſte occiſus eſt anno ab Hegyra 40. ætatis verò ſuæ 63. atque ſepultus eſt in urbe Kerbelai. Erat etiam cognatione junctus Mohamedi, ejus ſcilicet patruelis, fratrum enim filii ambo erant, ac ipſius gener, atque familiaritate teneris ab annis conjunctus, & ſimul cum Mohamede Moſlemannica lege fuit imbutus, quam ob cauſam ſæpe dicere ſolebat, ego ſum primus Moſlemannus. Inde fit ut Perſæ tanquam hæreticos alios tres Chalifas deteſtentur, atque eorum ſcripta, ubicunque invenerint flammis exurant, & crudeliter in eorum obſervatores animadvertant; quia ſcilicet impudenter imprudenterq; ſe Aali prætulerunt, & dignitate

tate jure teſtamenti debita eum ſpoliarunt, propterea perduelles atque hæretici à Perſis tenentur. Hinc bella, contentiones, diſſidia, interneciones, ac denique urbium vaſtitates, agrorum depopulationes, oppidorumque incendia inter Perſas, Arabes ac Turcas orta ſunt: ita ut in ſe mutuo tanquam in hoſtes acerrimos & hæreticos abominabiles crudeliter ſæviant.

Tandem hic Pſeudopropheta anno undecimo poſt ſuam Hegyram ſeu fugam: uti Ben-Caſem capite 31. de cantu ac vocibus aſſerit, ætatiſque ſuæ 63. relicto Abi-Becr ſucceſſore animam ſuam Medinæ diabolo tradidit ſine fine in gehennæ tormentis cruciandam, ibidemque ſepultus eſt in tumulo Aaiſce uxoris ſuæ. Hîc ſuperbum templum atque ingens, pereleganti architectura munificaque arte eſt erectum, quod quot die Othmannorum ſumptibus aliorumque principum donariis certatim ſplendideque augetur, illuſtraturque. Intra hoc ædificium ſacellum extat non perfectæ quadraturæ venuſtiſſima teſtudine tectum, ſub qua eſt urna lapidea Hagiar Monavat ſcilicet lapis lucidus dicta, quæ, ut dictum eſt, ad Aaiſce Mohamedis uxorem pertinebat. Hæc tota auro ac ſerica veſte eſt tecta, ferreiſque cancellis auratis vndequaque circundata; intra hanc, quæ auro gemmiſque fulget, Mohamedis fœtidum cadaver fuit collocatum, quod nec in aërem ela-

elatum, nec vi magnetis ſurſum, aut alia arte elevatum, ſed humi lapidea urna fortè vacua miſere jacet. Templum hoc Moſlemanni peregrini poſt à Mecca reditum viſunt, & eò libentius, quia Mohamedes adhuc vivens dicere ſolebat, qui tumulum meum poſt obitum inviſerit, ac ſi me viventem inviſiſſet, & ego illi vitam omnibus voluptatibus affluentem concedendam apud Deum intercedam; propterea gregatim omnes ſummum huic loco honorem deferunt, ſummaque veneratione eos cancellos (cum nemini pateat aditus ad prædictam urnam) amplectuntur ac deoſculantur, & fælices ſe ac beatos prædicant. Hinc factum eſt ut multi hujus loci deſiderio patriam conſanguineoſque reliquerint: plerique etiam tali inſania dementiaque capti fuerint, ut ſibi ſponte oculos eruerint, ne ſcilicet quicquam mundanum, ut inquiunt, viderent: reliquum vitæ curriculum ibi peregerint.

Cæterum Medinæ ambitus eſt duorum millium paſſuum, eſtque muri circuitus, quem Adhd Addaule rex Baghdad anno 364. condidit. Ejus territorium præter dactylos atque nonnulla olera, arbores aut fruges profert nullas, ac uti in Arabia deſerta ſita eſt, ita tota ſterilis atque inculta, aquarum penuria laborat, ſolis ardore, arenarumque calore torretur.

CAPVT

CAPVT IX.

De Metſr ſeu Alcairo, ejuſque animalibus, ſegetibus, incrementi Niliaci ſignis miris, pullis, tabellariorum officio fungentibus, columbis atque gallinis, productis incolarum veſtibus, ac puellis nudis.

METſr non ſolum urbis ſed totius Ægypti regni nomen eſt, à Meſraim Noë filio ſic dicta, inquit Mohamed Siriazita. Vrbis vero nomen præcipuum ab incolis Alcahera, ſcilicet victrix dicitur, Ab Europæis Alcairo, ſeu Cairo, olim autem Memphis vocabatur. Atque hæc Metropolis eſt totius Ægypti regni atque matrix nobiliſſima, quæ Mamaluchis deſtructis & à Solimanno Bizantino Principe devictis, à Baſcia militia Turcica 25. millium Spahiorum Ianizerorumque munita ſummo ſplendore regitur & gubernatur. Porro urbs dives eſt caſſiæ arboribus, quarum truncus, rami, & folia nucibus adeo ſunt ſimiles, ut quoties nō pendeant fructus, nuces eſſe dixeris. Eſt quoque Sacari arundinum, frumenti atque reliquarum ſegetum feraciſſima, cum bis in anno in nonnullis adjacentibus terris

ris frumentorum abundantiſſima colligitur meſſis: fœnum vero quater: olera, uti fabæ, ciceres, lenticulæ atque ſimilia ferè ſemper vireant. Adde ingentem candidiſſimi ſalis inexhauſtamque copiã; nam aqua Nili in foveas concluſa, abſque ullo artificio ferè intra triduum ſolis ardori expoſita, in ſalem nitidiſſimum concreſcit. Superioribus etiam annis celebris erat balſami plantis, quæ modo Othomannorum juſſu tranſlatæ ſunt ad urbẽ Mecchenſem. & præter numero ſeptem arbuſculas, quę in Proregis viridario ſumma diligentia adſervantur, nulla in univerſo Ægypti regno inveniuntur. Arbuſculæ hæ cubiti altitudinem non excedunt. At Meccæ feliciſſimè ut dictum eſt creſcunt; harum folia ſunt Æmaraco ſive majoranæ ſylveſtri ſimillima, ſuccus verò, qui balſamum eſt, educitur è trunco aut ramis parva facta inciſione.

Animalia in ipſa reperiuntur plurima. Equus præſertim marinus, qui molem corporis ingentem cum habeat, pedes & collum perbreves, caput maximum, deformis admodum redditur; nihil aliud tamen, ex tanto animali laudatur, aut in pretio eſt, præter caudam ac dentes. Illa enim equorum collis camelorumque appenſa pulchrum ac venuſtum ipſis miniſtrat ornamentum. Dentes verò ut fertur, contra vertiginem & capitis dolorem proſunt; ex illis quoque fiunt annuli, quos non tantum ornatus gratia in

dextro

dextro pollice geſtare ſunt ſoliti, ſed etiam ad hunc uſum, ut fortius arcuum ſuorum nervos adducant, nec pollicem criſpatum offendant. Capiunt venatores hanc belluam foveis levi tegumento ſtratis, in quas, cum noctu ad oryzam edendam egreditur è Nilo, cadit, neque evadere poteſt. Item Crocodilus, qui terra æque ac flumine gaudet, iiſdem excipitur inſidiis, cujus in nece ploratus, efficititius eſt, ac planè nugatorius. Extat præterea Chamæleon animal quadrupes longitudine unius palmi, formam lacertæ viridis referens, niſi quod hoc ſit grandiuſculo corpore, variiſque coloribus affectum. Roſtrum aut lacertæ aut ranæ ſimile habet, linguam acutam, qua muſcas venatur, caudam prælongam, exilem ac teretem, dorſum gibboſum atque aſperum, inceſſum tardum teſtudinis ſimilem, ventrem flaccidum, ſtrictumq; corpus minime opacum, imo ſubdiaphanum ac tranſparens, in quo unum tranſpicitur inteſtinum, pellis modo nigra modo viridis ſæpeque verſicolor cernitur. ova quæ dactylorum ferè nuclei molem referunt, quæque pelle tenui ſerpentum ovorum inſtar, circunducta, producunt. Qui verò hoc animal aëris alimento ſemper vivere, in colores quoſcunque, quos proxime attingit, converſione ſubita ob corporis ſubtilitatem variari, aut magnitudine (ut Democritus, teſte Plinio libro 28.c.8.) Crocodilo ſimile tenent, ridi-
cula

cula omnino ac nugatoria docent; quare præter innumeras experientias hac de cauſa ſpeciatim factas, mercatores Europæi plures fide digniſſimi hoc animal vitellis, caſeo, hortorum herbis veſci teſtantur, & panniculis verſicoloribus appoſitum nunquam priſtinum colorem mutaſſe non rarò ſe vidiſſe affirmant. Quod ſi fortè aliquando ſubjectum colorem accepiſſe id comprehenſum ſit, nihil mirum videri debet, quandoquidem, & qui purpura induuntur, colorem illum etiam à ſua veſte mutuantur, & in aliorum vultus tranſmittunt, quare variæ illæ colorum mutationes ad naturam animalis potius, quam ad objectum colorem; referendæ ſunt.

Iſtud verò ea in urbe ſingulare eſt, quod nullibi fortè terrarum reperitur, ut pulli ex ovis, non naturali gallinarum calore, ſed ignis naturalis beneficio, hominumque artificio recludantur. Incolæ enim conſtruunt ſibi furnos duorum ferè altitudinis cubitorum, atque una tantum portâ anguſtâ adapertos. In ſuperficie vero plana ſuperiori, ubi nulla ſunt ova, carbones accenſi, canalibus quibuſdam circumductis apponuntur; in inferiori autem ova quamplurima (ſinguli enim furni plus minuſve quatuor aut quinque millia ovorum capiunt) ordine diſponuntur, ac ut diximus carbonibus in illis canalibus poſitis ignis admove-

D tur,

tur, qui diu noctuque ardens temperatum præbet calorem ad 21. diem, qua pulli incipiunt excludi ovis uſque ad 23. qua tranſacta, ſi quæ remanent ex quibus non oboriantur pulli, inutilia atque corrupta eſſe deprehenduntur. Pulli igitur tanta copia excluſi, intra paleas educantur ſpatio octo aut decem dierum, quo tempore elapſo accedunt ruſtici homines, qui ſecuram pullorum curam promittunt, quorum nominibus in albo relatis, ſingulis, menſura quadam lignea ſine fundo, quaſi modio, dantur tot menſuræ, quot volunt, eo pacto ut una pullorum pars ſit pro terræ Domino ſeu pro Turcarum Imperatore, altera pro furnorum magiſtro, tertia denique pro iis, qui pullos educarunt. eaque induſtria exiguo tempore, tota Ægyptus maxima pullorum repletur copia.

Eſt etiam aliud illa in urbe mirandum, ac notatu dignum, quod refert Abu-Chalil Ben-Aali, de Nili incrementi certa & non fallaci aut errabunda cognitione; nam ſolet, inquit, intra decimæ quintæ diei ſpatium uſque ad vigeſimam ſecundam Rabii Atthani (hoc eſt Iunii) cadere ros quidam, qui quamquam nullum apparens ſignum aut palpabile imprimat in terra, neque ullum relinquat veſtigium deprehendendi an ceciderit, terramque madefecerit, uti rores efficere ſolent, incolæ tamen quodam natu-

ræ ſecreto id cognoſcunt, atq; certo ſciunt. ſiquidem decima quinta die ejuſdem menſis aut 16. terram, ſive arenā de Nili ripa deſumentes ponderant ſtatera, atq; eam ipſam uſque ad ſecundam diem aſſervant, qua die iterum eam arenā ponderant, & ſi graviorē eſſe deprehendāt, certò cecidiſſe rorem affirmant: ſin verò ejuſdem ſit ponderis, eam repoſitam tertia die denuò ponderant, ſicq; ſemper faciunt, donec ea terra gravior deprehēdatur; major namque ejus terræ gravitas, rorem cecidiſſe indicat, eſtque argumentum Niliaci incrementi certiſſimū. At in eo naturæ evidens miraculū (ſubdit idem author) ac hujus roris vis virtuſque in eo conſiſtit præcipuè, ut præter Niliaci incrementi certiſſimum ſignum, aër purgatus ac ſalubris reddatur, morbi, lætiferæ peſtes, febreſque annuæ, quibus miſerè anguntur incolæ, ceſſent, & quod magis eſt, omnes qui iis febribus lætalibus laborant, ſtatim ad ſanitatem reſtituantur.

Singulare etiam, atque incredibile ferè videtur, quod non ſolum hac in urbe, ſed in Aleppina, Damaſcena, ac Tripolitana ſpectatur, columbas ſcilicet quaſi hominum nuntiatrices novarum rerum eventus, pacis belliquе ſucceſſus mira velocitate denunciare. Siquidem ſæpè hæ columbæ Damieta egreſſæ ad hanc urbem, (intereſt enim ſpatium octoginta leucarum,) in qua Pro-

regis ſedes curiaque eſt, abſque ulla mora, ulloque periculo uno aut altero die ſe conferunt, atque ſchedulas ipſarũ pedibus aut collo alligatas deferunt. Nec ſane hæc aut falſa ſunt, aut fallaci arte geruntur, ſed hominum ſagacitate mire excogitata. Quare dum ova in nido materno, ac innato foventur calore, aut dum neceſſarios expetunt cibos pulli: provida mater atque amans diſtrahitur, & Damietam uſque aut aliam in urbem aſportatur; quæ quia tenellos juxta naturæ leges pullos alere tenetur, compellitur quodammodo atq; amore naturali cogitur nidum inveſtigare, dulcique ſuos eſca nutrire. hoc modo mater ſæpe aſſuefacta, ſtatim atque ob urgentes neceſſitates dimittitur, in eam urbem, ex qua abſtracta erat, alis explicatis evolat. ut autem ſciatur epiſtolam eſſe redditam, habent alias columbas ſimiliter inſtructas, per quas, ſi opus eſt, reſcribunt.

Porrò urbs, quæ admodum frequens ac refertiſſima populo eſt, incolas habet præter Spahios, Ianizaros ac non paucos mercatores admodum viles ac effœminatos, nullique virtuti deditos, qui laborem virtutemque peroſi, telluris ubertate aeriſque clementia abutuntur, ac modo ſupini, modo ore proni humi jacentes, in ſole, qui æque ipſis hyeme ferè ac æſtate gratum præbet calorem, apricantur, & miſerè otioſam

ætatem

ætatem traducunt. Incolarum veſtes, nobilium præſertim, talares ſunt, ac ea forma, quæ infra dicetur. Plebeii, præter ſubuculam quæ ad ſuras uſque pendet, ac zonam coriaceam, qua ſunt cincti, nihil, quo ſe tegant, habent: omnes tamen tam viri quam fœminæ, tam nobiles quam ignobiles, barracano ſeu fragmento quodam laneæ materiæ inconſutili, quod illis pro pallio inſervit, utuntur; fœminarum tamen barracana laxiora fluxioraque ſunt, quæ à capite uſque ad talos pendent, quibus faciem ac reliquum corpus tegere poſſint. E contra verò puellæ hic ſunt quatuordecim & 15. annorum plures, quæ hominum aſpectum non verentes, abſque ulla tunicaulloque velamine nudæ omnino incedunt. At hoc frequentiori in uſu eſt in circumjacentibus pagis, in illo præſertim itinere, quod ad urbem Hieroſol. ducit. nam Caravannis has in partes iter facientibus, puellæ ex pagis omnino nudæ exeuntes multa obſonia divendunt. neque enim his puellis ante circumciſionem, quæ fit anno 14 aut 15, aut ante matrimonium ullum datur induſium; Lacædemoniorum more, quæ intecto corpore, donec nuberent, incedebant.

CAPVT X.

De Tripolis nomine, ubertate, balneis, Templis, ac Mercibus. De bombycibus, & Serici formatione.

TRipolis quæ ab incolis Tarabolos dicitur, Syriæ urbs eſt antiquiſſima, cujus meminit Quintus Curtius libro ſecundo, & Plinius libro ſexto. nomen à tribus, quibus olim conſtabat urbibus, vendicavit. Ad unum ſita eſt milliare à mari, duobus diſtincta collibus, ita ut pars ejus in clivos amœnos blandè aſſurgat, pars altera in planitiem porrigatur. Ex ea parte qua mare reſpicit, ornat eam ſimulque divitem reddit planities ampliſſima arborum mororum, quibus ingens bombycum copia alitur, atque citrorum horti, granatorumque ac ſacchari arundineta: ex alia verò qua Libanum reſpicit, olivarum guſtu ac ſuavitate præſtantiſſimarum feraciſſima ſylva, quindecim millium. paſſuum latitudine, longitudine verò octo extenſa, opimam atque opulentam reddit; hujus verò totius ſpatii medium dirimit penè æqualiter, ſecatque placidus amnis, qui originem è Libano trahens, agros campoſque urbis placidè irrigans, utramque ripam miré fœcundat. Is deinde urbem

bem interfluens, agroſque ſuburbanos alluens, ad unum ex urbe milliare mari ſe immiſcet. Adde etiam placidiſſimum fontem ab radicibus Libani ſcatentem, qui ſua aquarum copia totam urbem amœnam reddit, deinde per aquæductus unius ſpatio milliaris uſque ad mare excurrens, eos, qui in portu commorantur, recreat ac reficit. Demum urbs hæc frugum omnigenarum ſuavitate atque guſtu præſtantiſſimarum feraciſſima eſt, vini oleique plena, frumento atque cæteris ſegetibus opima. In hac fœliciter, ut cæteras omittamus, creſcit arbor quædam ſeu potius frutex Almauz dicta, vulgò poma Adami, eſtque ſtipite viridi, folia habens in digitorum modum protenſa, nullos tamen producens ramos preter ea folia, quæ ſunt tam longa, & lata, ut quiſque facilè uno tantum tegi atque cooperiri poſſit. Fructus à ſtipite pendentes fabarum recentium ſiliquis inſtar ſemel arbor hæc profert, hique ſunt ſapore delicati ac dulces, gratique palato, colore dum maturi ſunt ſubflavo, odore roſis non abſimiles, guſtuque ferè peponibus, forma oblonga, cortice craſſa, quæ facilè veluti ficus detrahitur. ſemen nullum habent, ſed ſtipites album in terram gummi emittunt, quod in aliam creſcit fruticem.

Quamquã urbs nullis ſit cincta muris, ſeptẽ tamen quadratis ſed fortibus tur-

ribus ad maris littora ſitis cuſtoditur, imminetque ei ex editiori colle, qua parte Libanum reſpicit, arx munita, quam ajunt incolæ à Chriſtianis Francis eſſe conſtructam.

Intra urbis ambitum ædes quamplures lapide quadrato conſtructæ, elegantibus ſtoreis, tapetibus ſuperimpoſitis, pulvilliſque ſtratæ: parietes avium, florumque picturis ornatæ viſuntur. Superba etiam conſpiciuntur balnea, ea forma, ut ingredientibus prima fronte ſeſe offerat amplum atque ſpatioſum apodyterium eminenti teſtudine tectum, in cujus medio extat marmoreum labrum, frigidum fontem excipiens; parietibus verò circumquaque murus adjectus eſt latitudinis unius cubiti, alteriuſque altitudinis, quem loturi aſcendentes veſtes exutas eo in loco reponunt: balneatores autem ſtatim loturis duo offerunt linteola, quorum uno corpus, alio caput tegant; & ſic involuti atque crepidati ad penitiora pergunt loca, ubi inveniunt plures cellas caldarias, & ad ſudandum aptiſſimas, alias frigidarias, in quarum ſingulis labra aquarum calidarum fimo animalium calefactarum continentur. hinc balneatores poſt ſudorem egreſſi ad amplam cameram patentemque accedunt, in qua plura habentur baptiſteria aquarum calidarum frigidarumque capacia, ubi quiſque aquas pro ſuo arbitrio temperare,

ac ſe lavare, prout libet, poteſt. Omnes verò hæ cellæ atque cubicula ſunt pulchro artificio concamerata, quorum ſuprema pars ſpecularibus verſicoloribus, quæ Camriat incolæ vocant, lumen excipientibus, ornantur. Ad hæc balnea tā viri quam fœminæ accedunt, ſeparatim tamen lotiones peraguntur; nefas enim apud ipſos, atque omninò illicitum, & pœna mortis cautum eſt, ne ulla fœmina viro ſociata ad balnea admittatur, ſed aut viri matutinis horis, fœminæ verò pomeridianis accedant, aut diverſa balnea adeant: atque ita nihil ibi indecorum, nihil turpe aut libidinoſum ullo pacto committitur. Id autem mirandum quod tam Moſlemanni quam Chriſticolæ omnes promiſcue ad balnea accedant, nec ullo pacto diverſæ religionis conſortium evitent, ſed ſimul omnes balnea frequentent, ſeque invicem tam viri quam fœminę amore proſequantur. Cernuntur etiam hoc eodem loco munifica Chriſtianorum templa in Moſchæas (proh dolor) converſa. atque etiam alia Moſchæarum, ſive ut nominant Meſcuitarum ſuperba ædificia, ſumma arte, marmore, aut ſaltem quadrato lapide conſtructa urbem ornant, quarum hæc eſt topographica deſcriptio. Adeunti hæc templa, primo occurrit ampla area marmore ſtrata, cujus medium quadratum lavacrum occupat, ubi ad ora-

tionem acceſſuri ſuo more ſe lavant & abſtergunt, poſt ad ingentem aulam accedunt nullis imaginibus, aut aliis picturis, non auro aut gemmis fulgentem; ſed nudi parietes conſpiciuntur, ut docet Ben-Sidi Aali de Meſcuitarum ſtructura. Pavimentum totum eſt ſtratum ſtoreis, quibus plebeii inſident: ditiores tapetibus, quos ipſis mancipia ſubſternunt, utuntur. Ex teſtudine ſeu fornice plures pendent lampades, quæ orationis tempore accenduntur, & ea finita extinguuntur. Hæc templa ſunt ferè ubiq; locorum ſphæricæ formæ, & laminis plumbeis tecta: his adjunctæ ſemper ſunt prææltæ turres quædam, quæ Moſlemannis inſerviunt pro turribus Chriſtianorũ campanariis: hæ ſunt cylindricæ, atque teretes, quarũ faſtigia quatuor ſunt adaperta feneſtris Meridiem, Orientem, Occidentem atque Septentrionem reſpicientibus. Has turres ſtatis horis eorum doctores conſcendunt, & valida voce ex iſtis feneſtris clamorem intendentes, digito in altera aurium inſerto, homines ad orationem convocant. quo finito, lotioneque legali facta, omnes calceis in limine portæ ordine relictis ſummo cum ſilentio diſcalceati ad inſtratũ pavimentum accedunt. Emamus ſive anteſignanus orationẽ incipit, omnes ſequuntur, & dum flectit genua, alii idem præſtant, & illo erecto cæteri ſe erigunt, & ipſum vocem attollentem vel deprimentem

tem adſtantes imitantur; ubi neminem, tuſſientem, oſcitantem, deambulantem aut confabulantem videre eſt, ſed ſummo ſilentio oratione peracta reſumptiſque calceis diſcedunt.

Fœminæ autem nullæ poſſunt his ſtatutis horis ad Meſcuitas accedere, ſi viri adſint: nec ullam virorum ſocietatem habere poſſunt, excepto anteſignano, qui eas dirigit ac orandi modum docet, ut refert author ſupracitatus. Permittitur tamen illis non templum ingredi, ſed ad fores ſe ſtatuere, indeque citò antequam virorum oratio peragatur, diſcedere debent. Ac ſubjungit idem auctor, fœminarum eccleſiam eſſe partem propriæ domus interiorem. tantum enim apud illos deſpectæ ſunt fœminæ, ut multi eas non paradiſum ingredi, ſed ad fores cum Chriſtianis, virorū gloriam inſpecturas confabulentur, non obſtantibus quæ Mohamed in Alcorano fœminis etiam in paradiſo promiſit.

Porro quod ad magnum Tripolitanæ urbis ſplendorem facit, mercatorum omnium receptaculum atque emporium quoddam eſt, quo ex omni orbis parte terra marique pretioſiſſimæ quæque merces adducantur, atque hinc in longiſſimas mundi partes diſtrahuntur. Huc enim variæ nationes, Orientales Indi, Arabes, Ægyptii, Europæi, deinde ferè omnes

omnes, uti ſunt Galli Maſſilienſes, Turonenſes, Lugdunenſeſque; Itali deinde, Veneti, Siculi, Hiſpani, Angli, Belgæque confluunt: merces præcipuæ hîc proſtant, goſſypium, filamenta goſſypina, tapetes, lana, cineres ad conficiendum ſaponem, ita ut ſæpe Venetorum naves his cineribus onuſtæ videantur: ac denique ut alia omittamus, oleum præſtantiſſimum, ac ſerici maxima vis ob ingentem bombycum copiam. qui hoc pacto aluntur: Minutiſſima bombycum ſemina (Vere incipiente, dum tempus incaleſcere, arbores germinare, morique folia producere cæperint) variis linteis candidis involuta, aſſidua diligentique cura diebus 12. plus minuſve, interdiu mulierum ſinu, noctu temperato goſſypii calore confoventur. Vbi vero vermiculi generati, tenellis mororum foliis ſubſtratis imponuntur, ac in orbiculis quibuſdam ex boum fimo confectis duarum aut trium hebdomadarum ſpatio repoſiti mororum foliis aluntur; donec adultiores evadentes, & albeſcentes ad hortos moris albis conſitos aſportentur, ubi amplis caſis ex ſtoreis confectis, palis, ac cervis fultis reconduntur. Porro ii, qui horum curam gerunt, mororum arbores foliis denudant, eaque virentia. ad has caſas conferunt, reptantibuſque per ſtoreas fulcris ſuſtentatas bombycibus ea in alimentum bis in die præbent, donec tandem albeſcentes ad-

dultioreſque effecti, ſpumam emittere, filaque ducere incipiant; hoc enim ii, quibus hi ſunt curæ, animadvertentes, ſurculos ſimul colligatos & connexos ipſis apponunt, quos bombyces aſcendentes, albos aut flavos globulos mira arte intus incluſi texunt, ac in orbem glomerant. Expleto tandem hoc texendi genere, ſericei illi globuli colliguntur, & in ahenum ſupra focum pendens aqua ferventi plenum injiciuntur: artifices fila extrahentes, ingenti alabro rotæ inſtar contorquent. Ex his orbiculis meliores dürioreſque eliguntur ad ſobolem propagandam;nam bombyces illis irretiti involucris in candidos papiliones mutantur,ac naturæ inſtinctu ſpolia illa dura perforantes, exeunt,qui demum ex mutuo maris ac fœminæ congreſſu ſemina producunt, quæ diligenti cura conſervantur, ut ſequenti anno nova proles modo præſcripto propagetur. Mores autem incolarum hujus urbis,indumenta, cibi, Chriſtianorum conditiones, ac denique fœminarum ornatus, quia non ſolum huic urbi,ſed etiam univerſæ Syriæ conveniunt, ſequentibus capitibus proponuntur.

CA-

CAPVT XI.

De variis Orientalium veſtibus, munditie ornatuque, ac fœminarum luxu.

ORientalium veſtes ferè omnes talares ſunt, quarum aliquæ inferiori extremitate dextrorſum ac ſiniſtrorſum leviter conciſæ, aliæ ad talos uſque defluentes integræ. Superior enim veſtis manicas habet cubito tenus laxiores, & ad talos etiam pendet: interiorem verò, quæ ut plurimum è materia goſſypina eſt, alii ad talos, alii ad ſuras, ad crura alii gerunt, quam fluxior zona ſerica aut goſſypina, aut etiam coriacea artificioſè elaborata cingit. Veſtes iſtæ ſunt holoſericæ aut byſſinæ, aut undulatæ ſeu cymatiles, aut denique goſſypinæ, quibus collariis carentibus orientales pro cujuſque conditione ſe ornant. Capitis velamina, quamquam omnes tulipanto ſeu cydari utuntur, varia tamen ſunt, atque juxta varios ſtatus dignitateſque varii geſtantur tulipanti. Principes enim atque magnates candida tela ſed tenuiſſima Indica, mira arte contorta oblonga potius quàm ſphærica utuntur. Cadii ſeu Iudices Muſdii qui ſcilicet rebus ſpiritualibus præſunt, ingenti tulipanto longitudi-

nis

nis ſcilicet quinquaginta aut ſexaginta ulnarum tenuiſſimæ goſſypii materiæ in ſphæricam formam fabricato multis circulis contorto utuntur. Cives etiam ejuſdem formæ, ejuſdemque materiæ cydarim ſed minoris molis, paucioribus gyris aptatam gerunt. Scerifi ſeu nobiles de ſtirpe Mohametæa originem trahentes tulipanto viridi pluribus etiam ſpiris circumvoluto capita tegunt. Milites atque dominorum ſervi tela etiam candida utuntur, ſed forma oblonga, ita ut ſuperior apex ſit fluxior, laxiorque, ſtrictior inferior. Chriſticolæ vero pro cujuſque conditione ſerico, aut tela tenui aut goſſypio verſicolore, ſaltem non albo, formæque non rotundæ capita circumvolvunt. Maronitarum verò Patriarcha cæterique ſuffraganei Epiſcopi, capiti impoſito nigro capitio, tulipantum ingens ſuperimponunt, forma ſphærica convolutum, colore tamen cyaneo: reliqui ſacerdotes eodem colore ac forma, ſed minori mole, in gyrum etiam edito, capitio excepto, utuntur.

Fœminarum deinde indumenta, procerum præcipuè, ſumptuoſa valde ac ſuperba ſunt, quia non ſolum ex ſerico, & byſſo, ſed auro argentoque, ſplendida arte ac munifica contexta, ad talos uſque pendent; ubi verò in publicum prodeunt, (quod illis præter balnea rarò conceditur) peplo laxiſſimo albo

totæ

totæ circumvolvuntur, faciem vero totam reticulo ex equinis tenuiſſimè contexto velant, ita ut alios ſpectare, non autem ſpectari poſſint, quod ita diligenter obſervant, ut ne maritus quidem ſuam uxorem queat internoſcere. Quod ſi uxor maritum obvium inveniat, ne ſalutare quidem liceret, aut vix eum alloqui poſſet, quoniam turpe apud ipſos eſt fœminam aliquo viro ſociatam aut cum ipſo jocantem palam videre. Induſia habent ad ſuras pendentia, quibus tamen laxiores adſuuntur manicæ, ſubligacula verò ex tenui aut tela, aut goſſypio ad talos uſque defluentia gerunt, quæ tam viris quam fœminis communia ſunt. Dum etiam per vicos incedunt, ocreatæ, aliæve caligatæ proficiſcuntur, quod ſi breve iter ſint confecturæ, calopodiis utuntur elegantiſſimis arteque venuſta confectis, auro ac variis coloribus pictis, quæ domi etiam ipſis inſerviunt; Procerum tamen fœminæ iiſdem ex argento aurato frequentius utuntur, indutæ pedes ſoleolis ſimili arte atque induſtria verſicoloribus. Collum deinde condecorant torque, brachia onerant ornantque plurimis monilibus aureis aut argenteis, ſæpe unionibus ac gemmis cælatis, pedes pedalibus, aures inauribus, annulis denique digitos. Capillos etiam tæniis ſericis, aut byſſinis compoſitos, ex quibus quatuor pendent argenteæ vel aureæ catenulæ, ab occipitio poſt.

ter-

tergum demiſſos condecorant. Hæc omnia præter plurima alia undique terrarum ſumma cura requiſita curioſeque collecta, in opulentiſſimo honeſtiſſimi viri omnique virtutum genere ornatiſſimi Iacobi Guitardi ſcrinio ac muſeo videnda cuique patent.

Chriſtianorum fœminæ eodem modo ornare ſe ſolent; at non tantam audent pompam laſciviamque oſtentare. Hæ capiti uſcuffiam imponunt altam ac teretem, ex qua pro cujuſque conditione ac fortuna plures pendent nummi aurei aut argentei, & huic album aut alterius coloris velum ſuperimponunt ad ſuras uſque pendens. Oculos penè omnes ſuperciliaque collyrio quodam ac ſtibio illiniunt, genaſque fucant. Manuum palmis, unguibuſque pulverem quemdam ſubviridem aqua immixtum venuſtatis cauſa applicant, qui exſiccatus eas rubras efficit. Tales fucos, ſicuti & nummos quorum ſupra meminimus, & pleraque alia multa, videre eſt inter res mirabiles & antiquas Ioannis Baptiſtæ du Vallii, qui tanta diligentia ac ſagaci indagatione eas undiq; requiſitas aſportavit,ut quacunque de re ferè ſermo inciderit,illam ſi rara ſit, ſtatim ex ſuoGazophylacio promat,uſũ oſtendat,& proprietates doceat. Sed ut ad propoſitum redeamus, munditiem omnes tam viri, quam fœminæ diligenter colunt atq;obſer-

ſervant, adeo ut dum alvum aut veſicam exonerant, ſummoperè caveant ne quid urinæ veſtes maculet, crederent enim iſti hoc pacto ſe eſſe immundos. Vt vero hoc fugiant periculum, omnes ſe fœmineo modo, dum mejunt, incurvant, & aquis, quas ſecum deferunt, vel deferendas curant, ſe luſtrant, vel lapidibus, ſi aqua deerit, tribus, vel trilatero ſaxo tergere ſe debent, ut monet Ben-Sidi-Aali capite de lotione. Et ab his adeo cavent, ut ſupra bruta animalia aut ſpuere aut mingere nefas eſſe ducant. Quapropter ſemel vir honeſtus, ac nobilis Gallus cum ad urbem Tripolitanam iter faceret, & aſino ut plerumque mos eſt inſideret, ac veſicæ purgandæ neceſſitate urgeretur, jumentoque ſuo deſcendere ægrè ferret, ſuo loco incautus mingere cœpit. Hujuſmodi rem Agaſones cum vidiſſent, omnes furibundi ac rabie provocati, objurgant, contumeliis afficiunt, ac lapides in eum conjiciunt, eum, ſublato altero pede, jumenti dorſo dejiciunt, conatique ſe Italico licet corrupta lingua explicare, ut impetum illum ſuum aliqua ratione tuerentur, dicebant, *Non ti bergognar? ti far piſceria ſopra le gente di Dio? vallāh ti ſtar caſer*. Hoc eſt, non te pudet creaturam Dei animatam urinæ tuæ ſpurcitiis maculare? per Deum te modo infidelem eſſe agnoſcimus.

CAP.

CAPVT XII.

Varia circa orientalium cibos ac potus proponuntur.

ORientales quamquam ſua non tam opipare accommodent convivia, nec tam curioſè, ut Europæi faciunt, apparent, aut tantis gulæ irritamentis ad edendum ſe provocent, lautè tamen ſatis ac ſplendidè convivantur. Porrò quotidiani eorum cibi præter panem frumentaceum optimum, qui ubique pondere vænalis extat, ſunt carnes vervecinæ ob paſcuorum ubertatem, bonitatemque ſapidiſſimæ, quæ variis modis parantur; aliæ enim elixæ, aut minutim in fruſta conciſæ ac ſine oſſibus aſſatæ accommodantur, aliæ lebetibus impoſitæ ſine aqua coquuntur, aliæ in minutulas partes diſſecantur, atque ex ipſis multis aromatibus conditis artocreata conficiuntur; aliæ denique pilis marmoreis contuſæ, farre commixtæ & in globulos coactæ, cacabis juſculo decoquuntur, ipſiſq; cedunt in cibum. Frequentior tamen cibus tum apud magnates, tum apud plebejos eſt oryza variis modis accommodata. Volatilium etiam tam domeſticorum quàm ſylveſtrium carnes maximæ

abundant copia. ibi enim gallinæ, capones, turtures, perdices, columbi, turdi, ſofriat, anſeres, anates, aliæque id genus aves, ſine larido tamen accommodatæ, vili pretio emuntur. Abſtinent tamen omnes à ſuffocato ac ſanguine, & Moſlemanni à carne ſuilla. Bellariis ſeu dulciariis eduliis valdè delectantur. ſolent enim placentas conficere ſaccharo & amygdalis aut nucib⁹ pineis, malis etiam citrinis melle conditis, oryza ſaccharo aut melle ac butyro cocta *Zarda* ab illis dicta, muſto ad mellis ſpiſſitudinem cocto, uviſque paſſis Damaſcenis præſertim. Fructus, ut nuces, ficus, pyra, amygdalas atque ſimilia omittimus, quia communia ipſis ſunt. His itaque paratis hora prandii aut cœnę inſtante, manibus lotis precibuſque præmiſſis ad menſam accedunt, quæ eſt illis corium rotundum, cui panem obſoniaque apponunt. Panem cultris non ſcindunt, ſed manibus frangunt. Furculæ apud ipſos in uſu non ſunt, ſed tantum cochlearia lignea variis coloribus picta, & ubi hæc opus non ſunt, tres digiti, ut monet Ben-Sidi-Aali, ſupplere debent. Culinæ utenſilia, uti ſartagines, ollæ, cucumæ, cacabi, ænea ſunt ſtanno obducta; quæ verò ad menſam attinent, ut lances, patinæ, paropſides & ſimilia, è ſtanno Anglico ſeu Cornvvalino, quod vulgo ſtannum ſonans ſeu tinniens dicitur, conficiuntur. Etiã valde ſunt in uſu

vaſa

vaſa Indica vulgo porcellana dicta, quæ ipſis quotidie inſerviũt. Alia materia aurea, aut argentea omnino eſt illicita, quam Mohamedes, ut idem auctor ait, vel præcipuè prohibuit, quoniam hujuſmodi vaſis diabolum uti, Mohamedes nugabatur.

Potus communior ac frequentior aqua eſt, nobiliores tamen ditioreſque aquam ſaccharo dilutam, ſæpe etiam ambaro & muſco mixtam appotant. Vina Syriæ generoſiſſima ſive alba ſive rubra, quanquam plerique ipſorum bibant, apud ipſos tamen ſervantur nulla, nec minus divenduntur, ſed tamen apud Chriſticolas vænalia extant, poſtulantibuſque pecunia diſpenſantur. Æſtivo tempore Acſama utũtur. potus enim iſte melle uviſque paſſis aqua mixtis, ac nive conficitur, qui caloris ardorem temperat, corpuſque totum refrigerat.

CAPVT XIII.

De linguis variis Orientalium, ac præſertim de Arabica, ejuſque limitibus. ubi de Alcorano, & ſcriptoribus Arabibus.

OCto in Oriẽte hodiè potiſſimum linguæ vigent principaliores, Arabica nempe, Perſica, Turcica, Hebraica,

 Chal-

Chaldaica, Syriaca, quæ parum differt à Chaldaica, Græca, & Armena. Arabica tamen ut cæteris communior, frequentior, nobiliorque, magis eſt in uſu, quæ non ſolum Arabibus vulgaris eſt, ſed Africanis etiam, Barbaris, Nubis, Ægyptiis, Syriſque omnibus, ut deinde ſacra eſt apud Turcas, Perſas, Indoſque plures. Tantum illa extenditur quantum Moſlemannorum ſceptrum, Mohamediſque nomen propagatum eſt. Siquidem nullus Turca eſt aut Perſa, honeſtior præſertim, qui Arabicam ignoret linguam, cujus præceptis omnes ferè ſuos liberos imbui curant, ut doctiores evadant ac legibus Mohamedis incumbere poſſint. Hac enim lingua Alcoranus ſcriptus eſt, nullique mortalium poſſibile eſſe ducunt, hunc unquam in aliam linguam debito modo transferre. Indeque factum eſt ut Alcoranus nulla alia lingua, excepta Arabica, reperiri poſſit, ac proinde pleraque in ipſum extant commentaria. Hac etiam lingua publicæ preces domi foriſque fiunt, atque hac ut plurimum leges decretaque traduntur; hac, inquit Zaheri, Beati in paradiſo utuntur, hac denique ferè omnia Philoſophiæ, Medicinæ, Aſtrologiæ, Legum, Rhetorices libri ſcripti ſunt.

Perſica enim Poëtis ſublatis, atque hiſtoricis nonnullis pauca ſcripta ſunt: Turcica aut pauca aut nulla habet: Chal-

dæa

dæa ſeu Syra ferè extinctæ ſunt: Græca & Armena in Oriente omnino dilapſæ ſunt: in Hebraica vero veteris teſtamenti ſublata authoritate, Rabini præter fabulas ſcripſerunt nihil. At lingua Arabica ſemper floruit ac floret; hanc enim philoſophi nobiliſſimi, Averroës, Algazeles, Abu-Becr, Alfarabius, qui à Moſlemannis ſecundus cognominatur philoſophus, Mohamed Ben-Iſaac, qui firmamentorum clavem conſcripſit anno 663. & Mohamed Ben-abdillah de elementorum contrariorumque exiſtentia, ornarunt. Aſtrologi nobiliſſimi Giafar Abu-Maaſciar Belchita, Mohamed Abu-Rihan Chouarezmita de canone inMatheſis ac aſtrorum intelligentiam anno 421, Abu-Naſr Commita de inſtructionibus in Aſtrologiã anno 357, Abu-Giafar, & Ben-Haſan Tuſæus de ſignis aſtrorum condecorarunt. Eam etiam illuſtrarunt Mathematici inſignes Abu-Zaid Ben-Honain, qui Euclidem in Arabicam linguam tranſtulit, & Thabet Ben-Corra, qui eundem Euclidem à multis mendis correxit, atque commentariis anno ab Hegyra 282. illuſtravit. Medici; Alfarabius ſupradictus, à quo Avicenna multa deſumpſit. Honain Ben-Iſac Abadita, qui multa in artem medicam ſcripſit anno 260. Ebn-Sina, ſeu Avicenna, Abu-Aali Bocharita, & Aali Ben-Iſa, qui de ſimplicibus atq; com-

poſitis medicamentis ſcripſit. Mohamed Ben-Abdillatif, cognomento Ebn-Elbitar, de plantis Ægvptiacis earumque virtute ſcripſit anno 646, & Mohamed Ben-Eladib de cauſis morborum. Hiſtorici: Bidhavi de Chaliſis ac Sultannis: Chalaccan de hominum memoriis anno 601. Ebrahim Ben-Helal de imperio Dailemitico anno 383. Iſmaëi Ben-Aali, & Abdollah Ben-Aſaad Iamanita temporum eventus calamitateſque ſcripſit uſque ad 750. Legiſlatores, atque ii, qui de Alcorano ſcripſerunt, enumerat centum quinquaginta Ben-Sidi Aali in ſuo de dogmatibus Moſlemannorum libro. Rhetores, Grammaticique innumeri ferè ſunt, quos diligenter apud Ben-Caſem laudatos inter legendum nomine, cognomine, patria & anno reperies. Nec noſtrum hîc inſtitutum eſt omnes Arabicos ſcriptores recenſere, cum de his catalogum ampliſſimum Thomas Erpenius vir ſanè doctiſſimus, omnique ſtudiorum genere excultiſſimus in lucem edendum promittat; at his paucis ante oculos propoſitis, Arabicam linguam à præſtantiſſimis viris fuiſſe excultam ſufficit demonſtraſſe.

CAPVT

CAPVT XIV.

De Orientalium, Moſlemannorum præſertim, dogmatibus, Græcorum Schiſmate, ac Hæreſibus Neſtorianorum, Iacobitarum, & Coptitarum.

CVm jam aliquid de Orientalium nonnullis urbibus ac moribus dixerimus, abs re non erit ſi breviter pauca de ipſorum cultu ac religione tractaverimus, ſiquidem in Oriente, ut notum eſt, degunt Moſlemanni qui Mohamedis ſectatores ſunt: & Chriſtiani, ac Iudæi, quorum hîc nullam faciemus mentionem.

Porrò Chriſticolæ in Oriente omnes Chriſtum dominum Dei filium pro hominum ſalute incarnatum credunt, ac fatentur, & ſacroſanctum ipſius Euangelium omnes ſummo honore venerantur. Quia tamen infenſus generis humani hoſtis zizania ſeminare non ceſſat, ſanctiſſimamque Chriſti unicam Eccleſiam, ubique terrarum ac gentium, tanquam leo rugiens affligere ſemper conatur, multorum mentes ſeduxit variaſque in hæreſes fœdas ac lethales induxit. Et quidem Melchitæ ſeu Græci, qui per totum Orientem longè lateque ſunt ſparſi,

ſi, Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, Purgatorium nullum exiſtere peſſimè crediderunt; indeque illis odium inteſtinum in ſummum Pontificem, atque in omnes ei in ſpiritualibus ſubjectos, ita ut eidem veraciſſimo Chriſti in terris Vicario primatum pertinaciter abnegent. Atque hos Georgiani in omnibus ſequuntur. Neſtoriani, qui hæreſim à Neſtorio ac Theodoro Mopſueſteno exhauſerunt, per univerſam Chaldæam, unde etiam Chaldæi dicti ſunt, Meſopotamiam, Indiam Orientalem, qua de cauſa etiam Sancti Thomæ Chriſtiani nuncupantur, ſparſi, regiones illas inhabitant. Hi duas in Chriſto perſonas conſtituunt, Chriſtumque non eſſe dicendum Deum incarnatum, ſed Deiferum, quia per cohabitationem ſolam puro homini ac ſimplici eſt Deus copulatus, ſtolidè arbitrantur; hinc etiam Virginem Mariam non Deiparam ſed Chriſtiparam appellandam eſſe contendunt. Tum Græcis etiam, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere negantibus, temerè aſſentiuntur. Neſtorio deinde à Concilio Epheſino damnato ſummum honorem deferunt, ac tanquam virum ſanctiſſimum, cujus oſſa quæ in Thebaide conſepulta, ſolo contactu mortuum reſuſcitaſſe nugantur, publicis precibus invocant ac venerantur. Iacobitæ, Dioſcoriani, & Eutychitæ ſic ab hæreſiarchis Iacobo Baradeo, Dioſcoro, & Euty-

dicti

che dicti à Concilio Chalcedonenſi ſunt damnati. Iacobitæ quidem ac Dioſcoriani per totam Syriam ſunt diffuſi, Eutychiani verò, quos in omnibus Coptitæ ſequuntur, per univerſam Ægyptum, Nubiam, Æthiopiam atque Indiam ſuperiorem ſe dilatant, ac diffundunt. Omnes hi à prædicto Concilio hæretici ſunt declarati, quia Chriſti naturas, humanam ſcilicet & divinàm, duaſque voluntates & operationes confundentes ac permiſcentes, unam tantum in eo conſtituêre: negant enim poſt Verbi unionem cum carne, duas naturas inconfuſas, duas voluntates, duaſque operationes impermixtas in Chriſto Domino; ſed unam tantum ex his conflatam autumant. Vt verò hanc ſuam hæreſim aliquo exteriori ſigno profiteantur, uno tantum digito crucis ſigno ſe muniunt, ut ſic unam Chriſti naturam, operationem, voluntatemque teſtentur. Ad hæc, Confeſſionem nullam admittunt, ſed eorum multi in Eccleſiæ parietibus factis foraminibus peccata ſua confitentur, alii verò Deo ſoli, qui cordium ſcrutator eſt, confitendum ajunt. Coptitæ verò qui Ægyptum, Nubiam & Æthiopiam inhabitant, ut diximus, circumciſionem more Iudaico addiderunt, quam ad ſalutem eſſe neceſſariam affirmant, & quia in Euangelio ſcriptum eſt, *Ipſe vos baptizabit ſpiritu ſancto atq; igne*, aquam elemen-

elementarem non ſufficere contendunt, ſed ferrum ignitum, quo puerorū frontibus, aut genis, aut temporibus crucis ſignum inurunt, adhibent. Armenos, Pauliſtas, aliaſque ſectas Orientales brevitatis cauſa omittimus, quoniam eas omnes ſacri Doctores fuſe confutarunt, nec viſum nobis tam fœtida ulcera defricare. Accedamus ergo, petita venia & ſalutata modeſtia Chriſtiana, ad ea quæ de cultu vano ſuperſtitioſoque impoſtoris ac pſeudoprophetæ Mohamedis docet Sidi Ben-Aali in ſupracitato libro. Moſlemanni igitur vox etymologiam habet à verbo Aſlama, quod, ſe dedit, obtemperavit, ac fidelis factus eſt, denotat. Inde Iſmaëlitæ omnes Moſlemanni dicti ſunt, quaſi Deo obedientes ac fideles.

Horum igitur cultus religioque in eo conſiſtit, ait Iacub Ben-Sidi Aali, ut credant omnia colloquia à Gabriele Angelo, facta Prophetæ noſtro, dum ipſum de iis, quæ credenda ac facienda, interrogabat, quę ſunt ea, quę ſequuntur. De dogmatibus Moſlemannorum eſt, ut omnes credant in unum Deum, cui nullus alius eſt par. (& hanc ultimam particulam directè contra Chriſtianos protulit, qui tres in Deo æquales perſonas veraciſſime credunt ac fatentur) Teneantque Angelos ſervos Dei eſſe, & credant in ſcripturam, quæ miſſa eſt ad Apoſtolos, quæ ex communi opi-

„ ni opinione ipſorum dividitur in centum & quatuor libros, quorum decem ad Adamum miſſi ſunt, quinquaginta ad Set, & triginta ad Enoc, (quē „ Edris vocitant) & decem ad Abraham, lex ad Moſem, pſalmi ad Davidē, „ Euangelium ad Iſa ſeu Ieſum Chriſtū, „ Alcoranus deniq; ad Mohamedem. Vt „ quoque teneant hos miſſos eſſe ob „ hominum utilitatem, & credant in „ diem reſurrectionis poſt mortem, & „ aliquos eſſe ad ignem prædeſtinatos, „ alios ad Paradiſum, juxta Dei voluntatem. nam in Alcorano dicitur, nemo „ ex vobis eſt, qui non habeat locum „ ſuum in paradiſo, & locum in inferno „ determinatum. Credant etiam bonorum præmium, malorum autem ſupplicium: & Sanctorum interceſſionem. De dogmatibus eſt etiam, ut „ firmiter credant in calamum divinū, „ qui digito Dei creatus eſt. Calamus „ iſte ex margaritis eſt confectus, ejus „ longitudinis atque ſpatii, quod vix eques velox conficere poſſit annis quingentis. Eo fungitur munere, ut ſcribat ipſemet omnia præterita, exiſtentia, ac futura. atramentum quo „ ſcribit, eſt ex lumine: linguam verò, „ quâ ſcribit, nemo intelligit, præter „ Archangelum Seraphaelem. Credant „ etiam ſepulchrorum ſupplicium. nam „ ſolent ſæpe mortui cruciari in ſepulchris ſuis, ut factum eſt in quodam ſe-

pulchro,

pulchro, quod eſt intra Meccam & Medinam. Hæc ex pluribus ſufficiant, ne plus æquo dixiſſe videamur.

CAPVT XV.

De Moſlemannorum præceptis, ac legibus, quæ ſpectant circumciſionem, orationem, jejunia, bellum, pacem, lotionem & alia.

MOſlemannis omnibus Hebræorum more præputiorum circumciſio præcepta eſt, quæ non octavo à natali die juxta Iudæos celebratur, ſed poſtquam pueri octavum, nonum, decimum, undecimum, ac duodecimum attigerint annum: ut ſic, inquiunt, quid agant, intelligant; ac fidei profeſſionem cum rationis uſu teſtentur. Fœminæ verò quamquam juxta multorum opinionem huic legi ſubjectæ non ſint, pleræque tamen, ut in Ægypti regno fit, huic legi ſe ſubmittunt, ibi enim puellæ tredecim, quatuordecim, & quindecim annorum circumciduntur: At Sidi Ben-Aali capite de circumciſione ait, circumciſionem maſculis legem eſſe, fœminis vero honoris cauſa.

Iiſdem ſecundo loco oratio præcipitur, precceſque horariæ, quas in templis aut domi foriſque peragere debent.

Quin-

Quinquies ad has preces interdiu, noctuque accedunt. Primæ orationis tempus eſt hora antelucana, cum apparere incipit aurora: ſecunda fit circa meridiem: tertia poſt meridiem antequam Sol declinare incipiat: quarta poſt ſolis occaſum dum ſtellæ apparere incipiunt: quinta denique prima noctis vigilia, ſeu tertia noctis parte, quæ licita eſt, inquit Ben-Sidi Aali uſque ad mediam noctem, quo tempore tranſacto illicita omnino eſt. His ergo præcisè horis adeò ſunt intenti, ut nemini illas abſque peccato tranſgredi liceat, imò ait Ben-Sidi Aali, ſi quis in mare fuerit dejectus, ſciatque orationis tempora inſtare, ſi poteſt, orationis legem complere debet; ac mulier, inquit, dum parturit, non eſt ab hac lege immunis, ſed infantis caput aliquo in loco reclinare debet, & ſtatutum orationis tempus adimplere, quod in hac ſecta arduum omnino eſt.

Viatores autem omnes ſtatim atque orationis tempus inſtare advertunt, à via parum ſemoti ſe lavant, ſi aqua adſit, alioquin terra leviter effoſſa ſe lavare ſimulant, & illinc non diſcedunt donec orationem compleant ſuam. Præcipitur etiam in pauperes ac pupillos eleemoſynę erogatio, qui vero adeo tenui ſunt fortuna, ut pauperibus elargiri nequeant, Xenodochiis inſervire, & in publicis viis ſternendis laborē inſumere tenentur,

tenentur, quoniam ſe Deo ſatisfacere hoc modo arbitrantur. Item Ramadhani jejunium obſervare, quod triginta diebus conſtat; jejunium verò incipiunt ab aurora uſque ad Solis occaſum, donec certo noctem adveniſſe, aſtraque apparere cognoſcant, tunc enim oratione veſpertina peracta menſæ ſe apponunt, & quibuſlibet cibis veſcuntur, nullo autem modo à carnibus aut aliis ſe abſtinent cibis, excepto vino, quod jejunii tempore omnino eſt interdictum, quoniam in tranſgreſſores ſeverè animadvertunt. Et licet interdiu non ſolùm à cibo ſed potu abſtineant, noctem tamen totam in epulis ac dapibus & crapulis uſque ad auroram conſumunt; tabernæ enim, Ramadhani tempore, nocte cuique patent, quã cum canticis ac ſtrepitu, nõ aliter ac bacchanalibus diebus, inſomnem tranſigunt.

Cuilibet eorum etiam, ſemel ſaltem in vita, Mecchenſis templi atque Medinenſis viſitatio ſummoperè commendatur, de qua quoniam ſupra capite ſeptimo ſatis dictum eſt, nihil hic ſubjungemus.

Præcipitur etiam decertatio ac pugna contra ſuæ fidei hoſtes: Mohamedes enim, inquit Author idem, in mandatis habuit, ut non amplius Chriſti exemplo, humilitate, precibus, ſuaſionibus, ac monitis ad legis obſervationem homines induceret, aſt ferro ac bellis fidei reſiſtentes

ſtentes

ſtentes invaderet, & tanquam Divinæ juſtitiæ vindex ſicarius iſte in trangreſſores animadverteret, pertinaces ac perfidos pro tanto ſcelere ulciſceretur; obtemperantibus verò, & ultro huic legi ſe dantibus innumeras fœminas pulcherrimas, voluptates copioſiſſimas, flumina multa lacte & melle ſcatentia, paradiſos ſeptem bonis omnibus affluentes pollicetur. Immo præſcriptum eſt illis, teſte Ben-ſidi Aali, ut ſi proprio ſanguine Principi opem ferre nequeant, ſua ſaltem pecunia ac bonis ei ſuccurrere teneantur. Suiſque proponunt, ſi quis ipſorum in bello moriatur, ſtatim in cœlum evolaturum: propterea certatim quemlibet laborem aggredi ac omnia ad necem pericula ſubire non dubitant. Hac de cauſa ſolent apoſtatis, qui ad Moſlemannicam tranſeunt profeſſionem, ſagittam tradere, quam digitus index ſurſum erectus ſuſtentat; Sagitta quidem bellum adverſus fidei ſuæ hoſtes denotat: unicus autem digitus, Dei unitatem contra Chriſticolas, qui ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas veraciſſimè credunt, indicat. Demum lotio corporalis aqua naturali. quæ triplex eſt apud illos. Prima enim & quotidiana ante horarias preces, quæ legalis eſt apud ipſos, de qua fusè tribus capitibus tractat Ben-Sidi Aali. Ea hoc modo fit, primò denudatis cubito tenus brachiis manum ac brachium dexterum lavant, deinde ſimili

pacto ſiniſtrum, poſtea naſum, aures, faciem deinde totam, collum, capitis verticem, pedes uſque ad juncturas, ſi ſint denudati, alioquin calceorum extremitates ac ſuperficiem, poſtremò pudenda: dumque talibus ſe luſtrant aquis, preces ſuo modo obmurmurant. Cum verò has lotiones ad leviora delenda peccata fieri autument, pro gravioribus emundandis, balneis utuntur, ac lotione totius corporis ad crimina delenda opus eſſe nugantur.

Tertia demùm lotio fit cum alvum aut veſicam exoneraverint: non enim charta aut linteo utuntur, ſed aqua frigida qua pudenda ipſi aut ipſorum mancipia lavant: nefas enim eſſe ducunt, ſi veſtimenta ullo modo aut urina aut alia re proximè inhoneſta fuerint maculata: imò ſi id accidat, luſtratione tunc opus eſſe opinantur. Sidi Ben-Aali autem duobus capitibus ventre veſicâque expurgatâ oſtendit modum ſe abſtergendi lavandique, ſed quia relatu inſulſa ſunt, & auribus mundis ingrata, illa ut futilia planè omiſimus. Ad hæc demum imagines aut pictæ, aut ſculptæ, omnia furta, homicidia, rapinæ, adulteria, caro etiam ſuilla, vinum, ſanguis, morticina, ſuffocata, ac immunda animalia apud ipſos prohibentur.

CAPVT XVI.

De Moſlemannorum atque Chriſtianorum teſtamentis ac funeribus.

AVctor ſupra citatus poſtquam de lotione, jejunio, eleemoſynis tractavit, fusè etiam de cura circa moribundos gerenda, de teſtamento, exequiiſque in fine ſui libri pluribus agit. Moſlemanni igitur ſtatim atque ſentiunt ſe morbo gravatos, Abedum ſeu Pium aut Santonem accerſendum curant, qui ipſos in fidei ſuæ profeſſione confortet, cæleſtia eis proponat, & aliquid pro opportunitate ex Alcorano recitet. Interim ſi morbus ingraveſcat, atque vicinæ mortis inſtare periculum ſentiant, loti teſtamentum faciunt, atque omnia quæ furto, rapinaque ſunt ablata, creditoribus ſyngrapho ſolutionis dato, juxta leges reſtituere tenentur, ſi quæ verò furto latrociniiſque dolove ſint uſurpata, neſciantque cui ſint reddenda, aliquam argenti vim publicis ædificiis, uti Xenodochiis, Moſchæis ſive Meſcuitis, balneiſque, pauperibus etiam ac religioſis ſuis legant: Quinetiam hac de cauſa multi captivi libertate donantur, ut ab Avicenna factum legitur: alii libros in uſum communem teſtamento deſignant: alii denique alia pro libito

 ſtatuunt.

ſtatuunt. At Ben-Sidi Aali de Mohamedis præcepto eſſe ait, ut bonorum tertia pars in uſum publicum cedat, Xenodochiis, atque Meſcuitis legetur. Qui autem ab inteſtato moritur, eum ab aliis mortuis objurgari nugantur.

Vbi verò animæ corporis vinculo ſunt ſolutæ, cadavera lavari proximi conſanguinei curant, & goſſypio nares, os, oculi, aureſque obturantur: tum melioribus induuntur veſtibus & candidis induſiis, albuſque capiti tulipantus imponitur, cadavera demum feretro imponuntur, & ad cœmeteria, quæ extra civitatem ſunt, ingenti comitatu efferuntur eo ordine, ut ſantones religioſique præeant, poſt hos reliqua virorum turba confuſim, quam ſequitur feretrum, quod fœminæ plorantes, mœſtaque voce ac lugubri ejulantes ſubſequuntur, ſtriduliſque clamoribus uſque ad ſepulchra comitantur. Ibi veſtibus illis quibus ornata ad ſepulturam erant, ſpoliantur, ac albo linteo ab imo uſque ad verticem involvuntur, atque facie ad Meridiem verſa, terra teguntur. His peractis multæ funduntur pro defuncto preces, multęque pauperibus, ut idem faciant, erogantur eleemoſynæ.

Porrò Chriſticolæ in illis partibus quotquot ſunt, dum tali in ſtatu verſantur, ſanctam ſumunt Euchariſtiam, quam confeſſio præcedit ſacramentalis, deinde aut verbis aut ſcriptis teſtamentum conficiunt.

ficiunt. Interea Sacerdos jam jam mo- riturum monere, adhortarique non ceſſat, ut Chriſtianam religionem conſtanter ore & corde confiteatur, fideique articulos omnes affectuoſe amplectatur, ac denique ad vitam æternam hac ſpe eum venturum pollicetur. Eo demum mortuo thura in cubiculo odoreſque incenduntur. Dein cadaver albo linteo involutum, feretroque impoſitum quatuor ad cæmeteria bajuli efferunt, illudque plures viri comitantur, ac multæ ſubſequuntur fœminæ. Interim proximiores conſanguineæ affineſque plorare, cineres ſupra caput faciemque ſpargere, veſtes dilacerare, capillos evellere, genas vultumque percutere, & demum ejulantes horridos ad cœlum clamores extollere non ceſſant. Viros etiam videres diſcinctos ad feretri latera calamitatem ſuam deflere, tulipanti tænias explicare, barbam evellere, ac lacrymis gemitibuſque terram implere. Vbi verò ad ſepulchrum ventum eſt, laicorum corpora, ſindone alba involuta, aut etiam veſtibus induta, facie ad Orientem verſa humantur; Sacerdotum verò, Pontificum præſertim corpora, veſtibus ſacerdotalibus induta, in ſella ſtatuuntur, ac lapide ora ſepulchrorum occluduntur. Supra deinde ſepulchra thura cremantur, atque multæ funduntur preces. His peractis fœminæ in gyrum ſepulchrum ordine ambiunt, & næniis

mœſtis ac lugubribus, ſtridulisque vocibus de morte amici conqueruntur, querulaſque cantilenas in defuncti laudem affinis canens, omnes alias reſpondentes ad lacrymas excitat. Sacrum ad hæc pro mortuo celebratur, quo peracto omnes Sacerdotes, qui ibi interfuerunt, multique Clerici, alii etiam ſæculares à defuncti hæredibus ad prandium convocantur. Accumbentes autem menſæ proximior conſanguineis inter epulas ſæpiuſculè, ut pacem ac requiem pro defuncto precentur, monet hortaturve. hi verò alta voce, Deus miſereatur ejus, cujus cauſa hos edimus cibos, reſpondent. Prandio verò finito, mortui hæredes verbis amicis ſolantur, ac requiem eidem precantes diſcedunt.

CAPVT XVII.

Quænam ſit Moſlemannorum de Deo, de Chriſto, deque Virgine doctrina & opinio.

MOſlemanni omnes, Arabes ſcilicet, Perſæ, Tatari, ac Turcæ unum Deum omnipotentem creatorem cœli ac terræ, ſapientiſſimum, æternum, atque bonis præmia, malis ſupplicia tribuentem confitentur atque prædicant. tamen verum Deum, qui

qui tribus perſonis adorari, & coli vult, omnino negant, tribuſque potiſſimum argumentis ex Alcorano deſumptis ad ſanctiſſimam perſonarum Trinitatem negandam temerè ducuntur. Primò Deus omnipotens eſt ens ſimpliciſſimũ, ergo unus, ſolus ac ſingularis. ſi enim trinus eſſet, plures eſſent, ac proinde non ſimplex. Cùm vero nullam aliam generationem, quàm carnalem per commixtionem maris & fœminæ eſſe norint, ſecundo argumentantur: Deus nullam habuit uxorem, igitur neque liberos. Tertio ex abſurdo aliud trahunt argumentum: Si plures eſſent, inde deſtructio univerſi ſequeretur. nam fieri poſſet, (inquiunt) ut aliqua diſcordia diſſentioque inter illos oriretur, ac proinde maxima creaturis incommoda. Aliud quoque argumentum Mohamedes acutum, ſcilicet, capite de mulieribus ſub fine addebat, ubi ſic: Maria mater Chriſti quanquam juſta ac pia eſſet, fœmina tamen erat, ciboque indigebat, igitur Deus eſſe non poteſt. Inſipiens vir iſte atque omnino ignarus beatam Virginem ut tertiam Trinitatis perſonam à Chriſtianis coli adorarique putabat. At hæc argumenta cum aranearum telis ſint debiliora, Chriſtianorum mulierculis, ut levia ac inania diſſolvenda relinquimus: neque talia ullum merentur habere reſponſum. At verò nos ex ipſo Alcorano, etiam invito

Mohamede, Divinas Perſonas, Chriſtique Divinitatem, quam accerrimè impugnat, fatendas compellemus. Capite enim de mulieribus, quod *Surat Anneſa* indigitant, paulò ante finem ait, profectò Iſa (ſeu Ieſus) filius Mariæ Miſſus eſt Dei, & eſt verbum ejus collocatum in ipſa, ac Spiritus de ipſo, hoc eſt de Deo. Et capite de fœderibus, quod *Surato-Lookud* vocant, paulò etiam ante finem ſic ait: „Memento ô Ieſu fili Mariæ beneficii „mei erga te ac matrem tuam, dum te „corroboravi Spiritu Sanctitatis. allo„queris enim homines in cunabulis & „adultos, & creabis de luto volatilia. „inſufflabis enim in luteam formam, & „creabis volucres permiſſu meo. Subdit „deinde: leproſos mundabis, cœcos il„luminabis, ac denique mortuos reſuſcitabis. atque eadem alibi ſæpe repetit. En quomodo ſuo ſe gladio jugulat impoſtor iſte, quomodo duas ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas, Verbum ſcilicet atque Spiritum Sanctum agnoſcit, quomodo etiam Chriſtum appellet Deum. ad quem enim creatio pertinet niſi ſolum ad ipſum Deum. Attamen miſer iſte atque inſipiens quod hîc acerrimè impugnat, alibi ultrò concedit: Tanta nempe vis veritatis eſt ac virtus, ut eam ſæpe hoſtes, etiam ab ipſa extorres, obtorto velut collo, proferre ac fateri cogantur. Ad hæc etiam verum prophetam natum de virgine, virum non cognoſ-

cognoſcente, & à Gabriele Angelo annunciata, capite de familia Amram, quod *Surato Al-Amram* vocant, ingenuè ac ſponte fatetur. Porrò ob talem tantamque Chriſti dignitatem atque arctam cum Deo familiaritatem, quodque Propheta inſignis, & omni virtutum genere affluerct, ſceleſtiſſimorum ac perditiſſimorum hominum ludibriis eum exponere, Dei bonitati indignum eſſe putabat, ac proinde cruci affixum, atque mortuum omnino negabat. At alium in Chriſti ſimilitudinem ac formam mutatum, ejus loco à Iudæis crucis patibulum atque mortem ſuſtinuiſſe exiſtimabat. Sic enim capite de mulieribus
„ loquitur; Ob turpem illorum (ſcili-
„ cet Iudæorum) ſermonem (ſubintel-
„ lige, ſupplicio affecimus eos, vel
„ quid ſimile) in Mariam atque in Meſ-
„ ſiam Ieſum filium Mariæ Miſſum Dei,
„ dum occidiſſe illum gloriabantur. At
„ ſanè non occiderunt eum, neque cru-
„ ci affixerunt, ſed alium in ejus ſpeciem
„ atque ſimilitudinem mutatum. Et
„ paulò poſt: Certò non occiderunt il-
„ lum, ſed Deus ad ſe eum tranſtulit, &
„ in die judicii erit teſtis ſupra eos (hoc
„ eſt ſupra Iudæos atque Chriſtianos)
Similia habet capite *de Al-Amram*, ubi de Virginis nativitate, annunciatione, atque Chriſti Domini miraculis & in cœlum tranſlatione ſeu aſcenſione, falſa veris mixta tractat. Ob hæc Moſlemanni

omnes tali opprobrio atque infamia crucem habent;ut eam miſeros Chriſtianos adultos, qui ad Mohametæam legem tranſeunt, ter pedibus conculcare, terque conſpuere cogant.Cæteros verò Chriſtianos imprudentiæ atque ſtupiditatis arguunt, qui Chriſtum probra, & crucis ignominia turpem, acerbamque mortem perpeſſum eſſe affirmant. His plura jungere promptum fuerat & facile, ſed ne leves aliorum nugas effutire, aut infidelium in Chriſtianos opprobria repetere videremur, ea omnia ſilentio potius tegenda, quam typis vulganda ſumus arbitrati, dicendique finem fecimus,graviora molientes.

FINIS.

DE MO-

DE MORIBVS ATQVE INSTITVTIS

TVRCARVM ARABVM, ALIARVMQVE,

Quæ MAHVMEDEM ſequuntur, gentium.

Operâ & ſtudio

CHRISTOPHORI RICHERII Cubicularii Regii, & Cancellario Franciæ à ſecretis.

DE moribus Turcarum dicturus, non alienum eſſe videtur, de lingua, quâ utuntur, pauca prælibare. Turcis non unam eſſe linguam conſtat. nam & ſuâ, hoc eſt, Turcicâ, eos linguâ uti, & Arabicum ſermonem, atque adeò Sclavonicum ac Græcum ſæpiuſcule uſurpare palam eſt. Turcicæ voces primum ſibi locum vendicant, ut quæ ipſis cum hominibus Turcis natæ ultro in os veniant, & in effundenda barbarie aptio-

res.

res accommodatioreſque ſunt. Earum idcirco uſus Imperatori, totique ejus cohorti perquam familiaris. Sed eadem pene gloria eſt Arabicis, quas Turci à pueris ediſcere ſolent cum primum ſuâ religione imbuuntur. Legem enim Arabicis literis conſcriptam habent, & in omnibus publicis privatiſque rebus Arabicis literis utuntur. Hominibus qu etæ vitæ, ut Conſtantinopolitanis civibus & totius Græciæ civitatibusGræce loqui & ſcribere gentile genuinumque eſt.Sed latiſſime patet ſermo Sclavonicus, qui quod multus in ore omnibus Ianitzaris, ea de cauſa unicum hunc ſonat univerſa propemodum militia. Cumque hi fere in caſtris degant, tecti caſtrenſi tentorio munitionis expertes, parum tamen cæteris cedunt habitandi felicitate. Nam univerſi humillime habitant,& exceptis ſolum Principum domibus, balneis, ac delubris, quorum ſtructuram, quod lapidea ſit, paulò excellentiorem putant, aut ligneum eſt,aut terreum eorum ædificium. Nec deſunt, qui in æſtiva, ſpretis ſuis domibus ſponte diſcedant,quique in Nomadum morem certis ſedibus deſtituti, & ſoli pecoris curę adnati, vagentur, ac in omnem greges ſuos regionem,uti temporum locorumque fert natura,circumducant. Cæterum omnes cujuſcunque ſunt ſtatus conditioniſque,ſumpturi cibum aut urinam redituri, aut naturam exoneraturi,aut aliud

liud facturi quidpiam humi ſedent, decore tamen, nempe indumentis ad hoc affabrè comparatis & compoſitis. Etenim ad celandam, ſi qua inſit, deformitatem, talaribus veſtibus & laxis tam fœminæ quam viri induuntur. Nec profectò ullum hominum genus noſſe eſt magis verecundum, magiſque munditiæ ſtudioſum. Quippe qui ne pullos gallinaceos quidem, aut canes in ſuas cœnationes admittant. Quod ſi quid ab his forte animantibus vel ſupremis labris tantum delibatum ſit, id protinus tanquam pabulum venenatum abjiciunt. Ab omni porrò morticinio abſtinent, quod id putidum ſit; & vino; quod omnium turpitudinum irritamentum: & ſue, quod illo animali nullum ſit immundius, ſuillaque carne veſcentem contaminatum iri credunt. Quod ſi pullum ſibi, aut animal aliud quodpiam in epulis apponere ſtatuant, id prius ſex aut ſeptem dies penes ſe vinctum tenent, & puriore interea cibario ſaginandum curant: menſæ poſtea etiam ægrè apponitur. Quæ quidem menſa ut plurimum è glabro corio eſt: niſi fortè cervinum ſit; nam tunc hirſutum eſſe nec ulla ea parte depilatum, religioſum non eſt. Adde quod poſt verecundantis naturæ opus, videri à quopiã, aut cuiquam loqui nefas putant. Neque ideo prius in publicum prodeunt, antequam omni ea parte laverint: eoque nomine balneas reperire eſt oppidatim

per-

per quam communeis,ad quas is, quem *Tſchnunx* vocant, luſtrandus ſecedat. Neque eſt qui domum, aut ſacrarium, aut locum ubi ſeſſurus ſit, non depoſitis calceis ingrediatur. Nam apud eos calceatum ſedere flagitium eſt. Vtque res commodius lepidiuſque fiat,ſcandularum, quibus *batinagh* nomen eſt, uſum fœminæ præſertim noverunt: & vulgo locum ubi conſidetur, laneis ſcirpeiſve tegetibus, vel tabulis conſertis, ad coercenda ſoli humidi vitia præparant. Lege unicuique viro licet duodecim legitimas uxores habere & ancillas quotquot libuerit. Ex quibus cum liberos ſuſceperit, licet & eadem lege vernulis tanquam liberis hæreditatem inire. Id in cauſſa eſt quare potentiores & quicunque per fortunas poſſunt,oppidatim ſingulas uxores habeant, & ancillas & liberos. Pauci autem duas eadem in domo uxores alunt, ad jurgia potiſſimum devitanda. Sed & viris liberum eſt conjugum repudium. Vnde vinculum matrimonii, quod ipſi *kebin* vocant, in poteſtate viri,non uxoris eſſe prædicant. Quod tametſi ſolvere is poteſt ex animi ſententia, ſolius tamen authoritate ſacerdotis necti conſuevit: idque ad generandam tantum ſobolem,non autem ad libidinem. Libido quam ſit in fæminis rara,pudor earum ſatis docet: utpote quæ ſimpliciſſimo habitu mitras capitibus imponunt, tū velaſuperingerunt,eo

tantum

tantum conſilio, ut mitra velo diligenter decenterque involuta, verſatilis ejus extremitas in dextram propendeat: ut ſi domum exire, aut domi viro videri contingat, (nam mulierem uxorem ore aperto in virorum conſpectum venire, & domi aut foris patere, item forum adire, emere, vendere, turpe & flagitioſum eſt) è veſtigio os obducant, & illud demptis oculis virili conſpectui ſubripiant. Locum idcirco in delubris longè à viris ſejunctum, atque ita undique obſeptum habent, ut nemo quiſpiam introſpicere poſſit. Nec eo fęminę omnes indiſcriminatim, ſed optimatum ſolummodo uxores conveniunt: neque alias unquam niſi ſacro & ſolenni apud eos die, qui à planeta Veneris nomen habet, idque orationis tantum meridianæ tempore. Cæterum fæminam equo inſidere monſtrum eſt, & virum publicè cum uxore colloqui, aut privatim cum eadem laſcivire ridiculum. Sed ad tantam virorum ſeveritatem accedunt Eunuchi, quos domi viri Principes abeuntes, in uxorum cuſtodiam relinquunt. Qui virilis ſexus ex talibus matrimoniis naſcuntur, ii vel ad Imperatorem duci, ut ejus beneficio edoceantur, vel à parentibus erudiri ſolent. Qui autem ad Imperatorem ducuntur, (id autem ex more fit; nam quinto quoque anno ipſe paullò minores quam viginti annorum juvenes, libertinorum præſertim filios, toto ſuo imperio con-
ſcribit)

ſcribit)eos velut aulæ deſtinatos,alios aliis Principibus educandos, & arma aut artes edocendos partitur. Hoc idem de paris ætatis venalibus (quos habet innumeros, quippe cum ei præda omnis decumana ſit, tum præcipue captivorum, quorum ſuis pro decumis, quam maximum poteſt numerum venalitiis imperat) facere conſuevit. Quos omnes, ut annum vigeſimum attigerunt, eos omnes ad ſeſe revocat,& in numerum *Ianizarorum* adſcribit, adſcriptiſque æra conſtituit. Quum autem huic genti ſcalpere, aut pingere impium ſit, nemo omnium, ſpretis iis artibus, duritiæ ac labori non ſtudet, & vitam in venationibus,ac ſtudiis rei militaris collocat. Itaque ſi quando in ullam regni ſui partem bellum ſenſerit imminere, Imperator de habendis toto Imperio ſuo delectibus non magnopere laborat. Etenim datis ad Provinciarum urbiumque præfectos literis,quibus & neceſſarius militum numerus comprehendatur, & locus ac dies qua ſiſti Imperatori oporteat deſignetur,ſinguli pro ſe publico præconio mandata faciunt, tantundemque militum evocant, quantum Imperatori ſatis eſt. Cum quibus univerſis, ipſi præfecti, ſuis quiſque cum oppidanis ac Provincialibus, condicto die & præſcripto loco ſiſtuntur. Quod ſi, qui accerſiti ſunt,ceſſatores ad diem non veniant, eorum confeſtim impensâ quaterni aut quini ſubſtituuntur.

ſtituuntur; qui cum in exercitum coaluere, *Eſchetibori* vocantur. Delectus qui à Principe habentur, equitum ſunt ac peditum. Vtrorumque plura ſunt genera. Nam, ut hos primo expediam, Prætoria cohors fortiſſimorum peditum eſt, qui eorum lingua *Ianizari* dici ſolent. Hi initio quidem pauci fuere, ſed nunc ad quadraginta millia excreverunt. Imperatorem, *Aga* duce, (ita enim eum qui ejuſmodi ordini præeſt appellant) perpetuò circumeunt. In quibus ſagittarii ſunt ad quinque vel ſex millia, qui quod ſiniſtrorſum arcus ſuos intendunt ac remittunt, *Czolaclar*, hoc eſt ſiniſtri, populariter dicuntur. Sunt in iis ducenti cæteris proceriores & militari diſciplinâ magis clari, qui ab equitante Principe ne latum quidem pedem diſcedunt, iis *Solachi* nomen eſt. Omnes enim *Ianizari* ab aliis peditibus, amictu breviore, & mitris niveis acuminatis diſtinguuntur: item armis, quæ ſcutum ſunt & enſis, quem *Cymitharram* vocant, & arcus: denique officio; illi enim caſtra muniunt, atque oppugnationes moliuntur. Alterum genus eſt peditum, quos ſinguliæ provinciæ ac civitates, mandato Imperatoris, ſuis ſumptibus, nempe collata in ſingulos menſtruâ ſtipe, ad bella mittunt. *Aſapi* nominantur, & quadraginta millium & paullo plurium eorum eſt exercitus. A *Ianizaris*, & habitu & officio diſcrepant. Mitris ſiquidē rubris, enſe &

ſcuto, & longiori haſta inſtruuntur, quorũ quidẽ eſt hoſtileis equos incaleſcente prælio configere. Sũt & alii qui ſponte ſua bellũ ineunt, lixę, unà cũ calonibus, fabri lignarii, & qui pugnãtibus neceſſaria miniſtrãt, vias aperiũt, abrupta loca adæquant, pontes faciunt, aggeres cumulãt, omnia quę expugnationibus accommoda ſunt diligenter curant.

Atque hæc quidem ſunt Turcicorum peditum genera. Equitum verò quidam *Spachi oglani*, vel unico verbo *Spachioglani*, & *Spahiglani*, vocantur. Hi autem omnium ſunt ſelectiſſimi, & partim equitibus præfici ſolent, partim etiam peditibus. In his vis omnis eſt Turcicę militiæ, legationes obeunt, & *Sangiachatibus*, hoc eſt provincialibus præfecturis, atque id genus muneribus funguntur. Hi denique filias ſororeſve Imperatoris ducunt tanquam cæteris omnibus clariores ac de Principe bene meriti. Capite quoque ut alii mitrato ſunt, & aureis, ſericiſve verſicoloribus indumentis utuntur.

Hi numero mille, quorum eſt exeuntem urbe Principem, dextrâ comitari. Lævam verò mille alii equites cingunt, *Solaſtri*, ſive *Soluphtari* appellati. quorũ eadem omnino eſt cum *Spahiglanis* & vitæ, & nobilitatis, & veſtium, atque armorum ratio. Iis adhærent alii quo-

que

que mille equites *Vlufagi*, conflati partim ex Ianizaris egregio aliquo facinore nobilitatis, partim etiam ex ſervis, de *Baſſa*, aut *Belerbejo* pugna aliqua benemeritis, ut qui fidelem iis, promptamque operam imminente periculo præſtiterint. Poſt hos *Charippici* pari numero & conditione, niſi quod hi levis ſint armaturæ. Ex his equitum peditumque generibus porta Principis conſtat. Sed alii ſunt equitum ordines ſub *Belerbeiis*, *Subaſſi*, ac *Timoriotes*, ſeu *Thimarcini*. Ii ſunt qui pro numero villarum aut locorum, quæ Turcæ Principis mandato poſſident, ab iis agente id conſuetudine aluntur, ac trium *Aſprorum* milliū ſtipendium in ſingulos annos capiunt. Alii ſunt *Mozellini*, lecti ab iis, quibus olim Turcarum Imperatores acquiſitos bello agros diviſerunt. Sunt & *Alcanzi*, ſive ut quibuſdam placet *Aconizii*, hoc eſt fatales ſeu fortunæ milites, ad triginta fere millia. Militant nullo ſtipendio, ſed unis ſemper aut binis caſtris reliquas copias antecedentes excurrunt prædabundi, & quintam prædæ partem ad Imperatorem manubiarum nomine deferunt. Omnes autem ejuſmodi copiæ in duos exercitus dividuntur. Europeum atque Aſiaticum. His præſunt *Belerbeji*, hoc eſt præfecti præfectorum, ſeu Princi-

pum principes. Qui quidem numero duo ſunt, quorum hic Aſiæ præeſt, ille Europæ. Alter legatus Imperatoris in Anatolia *Cutheia* quæ urbs Galatiæ eſt, ſedem habet: alter in *Romania*, Sophię, quæ in Servia eſt, habitat. Vterque plures ſub ſe *Sangiachatus* tenet, & *Sangiachis*, hoc eſt Provinciarum præfectis, qui ad eum Magiſtratum facto aliquo eximio aſſumuntur, mandata dat. *Sangiachi* vero *Subaſiis*, de quibus ſupra, quod lubet, præcipiunt. *Baſſarum Viſirorum* aliæ ſunt partes. Nam Imperatori conſilia ſuggerunt, & cum iis ipſe de negociis belli ac pacis agere conſuevit. Plures tribus aut quatuor eſſe non ſolent, & bellum quoque ii aliquando moliuntur. Huic militiæ nullus eſt vexillorum uſus. Verum ipſi duces ac prçfecti caſtrorum, quos *Zumbaſtos* vocant, lanceam proferunt in ſummo propēſos certi coloris pilos habentem, quod ſignum qui ſub eorum præfectura ſunt perpetuo ſequuntur. Siquando vel coeundum ſit, vel diſcedendum, vel in aciem prodeundum tympano ac fiſtulâ, copiæ convocantur citanturque. Alioqui ſilentii Turcę adeo ſunt ſtudioſi, ut nemo omnium niſi in caſtris armetur, & captivos noctu elabi facile atque effugere patiantur, ne quem præter morem tumultum, in perſequendis rapien-

rapiendiſve fugitivis excitent. Qui præfectis caſtrorum ſubſunt, centuriones, *Tſcheribaſchi* vocantur, ſinguli centenis *Czingeris* hoc eſt centum equitibus vel peditibus præſunt. Nemo eſt omnium, qui non ſe quaſi bello natum vitâ ac factis comprobet. Eaque de cauſa, quando nomina referunt in album, ſi qui domi relicti ſint, magnam ſibi factam eſſe injuriam putant. Tantus eſt militiæ honos. Nulla eſt concio, nullus hominum conceſſus, nulla convivia, in quibus non pro iis qui militant, preces dicantur: multo autem religioſius pro iis Deos ſollicitant, qui pro ſalute communi mortē oppetiverunt. Felices itaque apud eos qui foris inter haſtas ſagittaſque hoſtium non domi inter fœminarum lachrimas occubuere. Nulla acceptior præda captivis eſt. Nimirum in eâ ſunt opinione, neminem qui ſervum habeat, ullâ inopiâ unquam laboraturum. Eaque de cauſâ bello captos, ſummâ diligentiâ conſervant, non humanitatis quidem quâ moveantur, ſed utilitatis tantum gratia, ſi quam ſibi ex ſervis factis haud mediocrem fore proſpiciunt. Nimirū iſti nationi ſervos habere, more veteri, emere, vendere per quam familiare eſt. Atque ejus commercii nomine, oppidatim deſignantur venalitii, magnis

cum privilegiis, qui in eam tantum curam incumbunt, ut ejuſmodi hominum copiam comparent, venundent, commutent, pignorentur, prout cujuſque libido eſt atque uſus, nullo interim fortunarum ſuarum publicive boni detrimento. In eam quoque rem paſſim fora ſunt conſtituta, in quæ venales deducti, nudi licitatoribus oſtenduntur. Quorum tam virilis ſexus, quam fæminini membra etiam pudenda, emptoribus contrectare licet: hinc ſcilicet ut præſentiant, juveneſne ſint, an affecta jam ætate; virgines an corrupti, ſani, an valetudinarii. Quod ſi empti diffugiant, onus ſervitutis duplo majus quam antea receptis imponitur. Tum ſi ſecundo peccent, virgis aut ſecuri eos cædere, aut cibo, ac potu interdicere ad mortem pæna eſt. Major illis cautio, qui pro retinendis ſervis ſpem aliquam libertatis proponunt. Quam ſemel polliciti, dubium non eſt quin præſtent. Nam tanta eſt iſtis hominibus dictorum conſtantia, tanta etiam de fide ſuorum ſecuritas, ut in conventis nulla unquam ſyngrapha, nulla obſignatione, nullo chirographo utantur: ſed ſolo promittentis verbo, vel ipſa nominis ejus qui paciſcitur auditione ſtent omnia. Ea autem lege

ge ſervi à Dominis manumittuntur, ne ad ſuos manumiſſi aut ad alios exeant, ſed in Turcæ ditione perpetuo morentur. Quod factum puto, cum ob majorem clientelam, tum ob religionis Mahumedeæ incrementum. Cujus quam ſeveri obſervatores ſint, & quid ſibi, nobiſque futurum credant: jam nunc dicam. Hoc vulgo ad populũ concionantur, fuiſſe olim nobilem Prophetàm *Miſſah*, hoc eſt Moſem, qui primus divinitus legem tulit, & librũ *Tefrit*, quem Græci Pentateuchum appellant, condidit. Quo quidem divino beneficio, ſervatum fuiſſe prędicant omnem ejus tempeſtatis hominem. Verum ſacrilegus hominum furor, cum ejuſmodi legem antiquaſſet, in tanti expiationem flagitii, deſignatum aſſeverant alterum Prophetam *Dajit*, hoc eſt David, qui pariter librum ſcripſit *Czabur*, hoc eſt pſalterium, & legem ſimilis prærogativæ impoſuit. Sed ejus ſanctione humano ſcelere flexu ętatis labefacta, tertius ſucceſſit Propheta *Ieſſe*, id eſt, Ieſus Chriſtus, cũ lege ſuperne accepta, & libro *Viglis*, hoc eſt, cum Euangelio in communem omniũ ſalutem. Atqui diſſipata abrogataque ejus lege, denique miſertum eſt hominũ, & legatus huc miſſus Mahumedes Propheta quartus, pari cũ ſuperioribus

privilegio, nempe qui quartam legem cum libro Alcorano conſtituit. Quâ, perfidiâ humanâ perruptâ, alium quoque venturum exiſtimant. Prima Mahumedeæ legis præcepta ſunt, omnem utriuſque ſexus hominem, nubili ætate matrimonium contrahere oportere, & ſingulos quinquies orare quotidie, deſignatis ad hoc quinque temporũ differentiis. Orationis primæ, Sol oriens eos admonet; Ea fit valde ſuperſtitiosè, nempe per quatuor *Erket*, & duo *Czalamat*. *Erket* vocant geminatam corporis inclinationem cũ totidem proſtrationibus. *Czalamat* vero ipſa eſt tacita oratio, quam fundit ſupplex ſedendo poſt ſingula *Erket*, cum ſalutatione dextra lęvaque, & pacis impreſſione, quam deſignat ambabus manibus os obducentibus. Altera ſub meridiem celebratur per decem *Erket*, & quinque *Czalamat*. Quarta ſub occaſũ ſolis, per quinque *Erket*, & quatuor *Czalamat*. A cœna ultima, ea ſerò fit per quindecim *Erket*, & octo *Czalamat*. Prima lingua eorum *Dangnanias* dicitur, ſecunda *Orlenanias*, tertia *Kjindinanias*, quarta *Achſamnanias*, quinta *Laczinanias*. Eas orationes lege coguntur ſinguli cum tribuli ſuo, in *Meskita*, hoc eſt fano communi facere, niſi legitimè impediantur. Cum prohibet negotium, ubivis locorum orare

orare licet. Et eandem tempus orandi veniam habet, ut ſcilicet horâ intempeſtivâ ſuppleri poſſit quod legitimâ fuerat intermiſſū. Religioſius orãt Veneris die apud illos reliquis celebriore. Sunt tamen profeſti omnes dies, nec ab opere ullo abſtinetur. In ſingulis civitatibus fanum aliquod princeps eſt, quod ipſi *Evemeſgit* vocant: quo dicto die univerſi conveniunt, ipſe quoque Imperator una cum aliis, cum adeſt, & viri cæteri principes. Oratur meridie, & ſtatim orationẽ ſequitur publica quędam concio, largitioniſque Imperatoriæ liberalitas. Cenſores habent, qui neglectæ orationis inſimulatos pluribus ſuppliciis afficiant. Eos enim per oppidum trahunt, appenſâ collo tabellâ & caudis vulpinis, ad hæc pecunia mulctant. Id autem pręcipue fieri ſolet neglecta verno jejunio oratione. Lavari triplici modo ſolent, antequam orent. Aut enim aquâ integrum corpus perfundunt, & quicquid in eo pilorum eſt, excepta in viris barbâ, & fœminis comâ, corradunt, præſecant etiam pedum ac manuum ungues diligentiſſime, & eâ fortaſſe ratione circumciduntur. Hæc autem lotio eſt, poſt quancunque maculæ contrectationem neceſſaria, & dicitur ab illis *Czoagermeg*. Aut ſecretiore loco pudenda & podicem

abluunt, ſitque cum opus aliquod naturæ fecerunt. Vocatur ea lotio *Tachriat*. Aut quinque ſenſus aqua purgant, manus ad cubitum uſque, os, nares, aures, pedes, crura, & tibias, eo quo dictũ eſt ordine. Et eam lotionis formam *Auptas*, ſive *Abdas* dicunt. Hanc autem facere ubique licet. nec tamen neceſſe eſt ut omnem orationem præcedat, niſi id labes aliqua vitiati corporis efflagitet. Verum ſi à prima oratione ab omni vitio abſtinetur, eadem die nulla repetenda lotio eſt. Luna annum metiuntur. Et ut lunam unam pro menſe, ſic duodecim lunas pro anno numerant. Sed per lunã unam quotannis jejunio perfunguntur, atq; interdiu quidẽ ab omni cibo & potu ſibi temperant, noctu verò perbacchari laudabile eſt. Abſoluto tempore jejunii ſtatam feriam, hoc eſt, Paſcha unum in memoriã illius arietis, qui inopinanti Abrahamo in victimã loco filii objectus eſt, noctis porro ejus qua alcoranum cælo ad ſe miſſũ prædicant, celebrare conſueverunt, ſepulchris mortuorum inviſendis, fundendis ad ea orationibus, conſumendis ibidem cibis quotquot ſecum attulerint. Mutuis demum datis oſculis in hæc verba prorumpunt, *Baaram Glutioc zong*, hoc eſt, ſit tibi hoc Paſcha fauſtũ ac felix. Iterum ſexageſimo poſtea die pari

pari omnino ſuperſtitione feriantur. Ejus alterius feriæ cauſſa eſt annuus peregrinorum adventus in locum qui ab aliis *Mecca*, ab iis *Mekite* dicitur, ubi ſepultum ferunt Mahumedem, trans Ieroſolymam ſexagenorum dierum itinere. Quo perveniri nequit, niſi camelis, in id à Sultano ad tranſmittendas arenas diſpoſitis. Qui hoc iter peregerunt vocantur vulgo *Katſchilai*, & multis præmiis exornantur. Etenim honorifice ab omnibus excipi, ac in teſtimoniis dicendis, trium teſtium loco haberi ſolent. Haud ſecus pro iis atque victoribus oratur, & eorum cauſſâ conſtituta ſunt duo Xenodochiorum genera. Vnum cui nomen eſt *Seuvennezerei*, ædificium ingens in ſolitudinibus, quo ipſi viatores recipientur. Alterum in oppidis eſt, *Hymarath*, magna templi moles ab regibus poſita, & multis feracibuſque prædiis dotata, ad quotidie cibo recreandos, quicunque advenerint, peregrinos præcipuè & literarum ſtudioſos. Quibus refectis, mos eſt animæ ædificatoris bene precari, & interim reliquum in commune diſtribuere: fitque hoc prandii & cœnæ tempore. Sunt & Turcis frequentia gymnaſia, in quibus placita regia, atque edicta, quæ pro

regno

regno adminiſtrando ſunt, edocentur. Qui ea didicere, duplici gradu Magiſtratibus præfici conſuevere. Magiſtratus inferiores *Munetſchim*, ſuperiores *Muderis*, dicti. Qui diſciplinam minus tenent *Tauſmani* appellantur: quibus quidē Alcoranū, & ceremonias quæ ad cultū legis pertinent, didiciſſe ſatis eſt. Ii ſacerdotes ſunt qui à vulgo nihil differunt. Dant nimirū ipſi operam uxoribus, liberis, familiæ, negotiationi, uſuræ, venationi. Plurimi ſunt Turcarum qui vota ſuſcipiunt. Quidam auſteram vitam vovent: & hi omni tempore nudi, celatis tantum pudendis incedunt. Alii victus abſtinentiam, qui rariſſime cibo ac potu fruuntur. Alii paupertatem ſequuntur ex voto: his in diem vivere ſatis eſt. Alii perpetuum ſilentium ſervant, hi nomine mutorum *Czamutlat* vocantur. Seorſim alii à populo ducunt dies. Quibuſdam nemora & ſolitudines placent. Aliis hoſpites, in ſuas domos quæ *Tekie* dicuntur, oppidatim excipere religioſum. Quidam mendicitate continuâ victitant. Alii in oppida gelidam recentemque aquam important, petentibus nulla mercede impertiuntur. Quod ſi quid gratuito offeratur haud recuſant. Alii ad ſanctuaria inhabitant tanquam vigiles, & volun-

tariis populi donis reficiuntur. Quidam ſunt quibus *Neſies Ogli* nomen eſt. Eos rumor eſt ſine virili ſemine conceptos ac natos. Sacerdotes feriari ſæpius ſolent, nunc ut vota populi reddant, nunc majorem memoriam ut renovent, aliquando communi neceſſitate adducti ad imbres impetrandos, aut ſerenitatem aeris precibus obtinēdam. Ad has ferias convenit omnis vicinia & epulatur. Cum Muſicus ſumpto incuſſoque tympano modulari incipit, cæteri ſequuti ſigillatim choreas ducere. Feria illis *Machia* dicitur & ludus *Czamach*, qui fit ſaltatione & tripudio, & decorâ atque ad motus accommodatâ membrorum omnium agitatione: Ad hæc ſub finem circulari motu, & velociſſima totius corporis revolutione: in quo, vis ipſa ludi conſiſtit. Vbi vero ludum ſinguli luſerunt, tum univerſi coire, & promiſcuè colludere, quibuſdam interim precum vocibus editis, pro ſalute eorum qui vota hæc nuncupaverunt, ſeu liberales domos ac viatica ſunt impertiti. Vtuntur & cantionibus rhythmicis, idque viciſſim efficiunt, ut ſcilicet quod unus dixerit, alii repetant. Habent etiam quos à morte divos factos putent. Quorum omnium facile princeps eſt *Sdi-*

chaſi

chaſi, quem victorem fas eſt interpretari. Sepulchrum ejus *Ottomanni* ac *Caramanni* finibus intermedium eſt, numenque invocari ſolet omni bellica expeditione. Tum *Harſchi petteſch*, peregrinationis ſubſidium, peregrinis in honore eſt. Tertio loco eſt *Askic paſſa*, id eſt patronus amoris, ſumpto ab amore nomine. Conjugio præeſt, partus difficultati, habendæ etiam prolis deſiderio, viri ac fœminæ ſedandæ diſcordio. *Van paſſa* diſſidentes animos lenit. *Sekech paſſa* perturbatis & triſtibus ſolatio eſt. Denique alii ſunt *Gotuelmirtſchin & Bartſchin paſſa*, qui ambo pecoris cuſtodiæ præſunt atque conſervationi. Et *Chiridelles*, qui neceſſitate affectis viatoribus opitulatur. Apparet is, ut rumor eſt, viatori ſimillimus, equo glauco inequitans: invocatus citiſſime adeſt. Quod ſi nomen ignoretur, ad Dei implorationem etiam præſto eſt. Sacerdotum quatuor ſunt genera. Quidam velut gubernacula tenent populi, ſacriſque dignitatibus præſunt, ſacrificia privata ac publica procurant, religiones interpretantur. Inſerunt opinionem, neminem unquam niſi lege Mahumedis ſervatum iri. Alii ſunt quos vulgo *Derniſcher* vocant. Hi autumant

mant, legem nihil prodeſſe, ſed gratiam Dei tantum, qua neceſſe ſit omnem hominem ſervari, quæ ſine lege & merito ſatis ad ſalutem multa eſt, eam ipſi *Rachmatallach* dicunt. Tertium genus eſt eorum qui *Czoſilar*, id eſt contemplantes appellantur. His perſuaſum eſt unumquemque debere merito ſervari: meritum ad ſalutem ſatis eſſe, etiam ſine gratia aut lege. Hanc ipſi opinionem *Pereketallech* vocant. Poſtremum genus eſt eorum qui *Horiſe* appellantur, id eſt factioſi. Hi docent, unumquemque lege quam teneat ſervatum iri, & unicuique genti legem latam eſſe à Deo qua cęlum mereri debeat: & æqualiter omnes leges utiles eſſe iis, qui eas ſevere, diligenter & inviolate obſervarint, nec ullam alteri eſſe præferendam. Animadverti in hos ſolet acerbiſſime, ut in factioſos omnium perditiſſimos. Comprehenſi incendio tolluntur. Turcæ furtum inprimis acerbe puniunt. Homicidium gravi ſupplicio expiant, in cætera negligentius animadvertunt. Commentantur fabulanturque multa de Antichriſto, quem *Tetſchel* vocant. Ad ultimum tamen, Mahumedem ſuum

um univerſos, cujuſcunque ſint vel ſectæ vel religionis, poſt diem divini judicii, ab inferis revocaturum arbitrantur.

Ex

EX IOHANNIS COTOVICI VLTRAIECTINI ITINERARIO HIEROSOLYMITANO ET SYRIACO,

De ſacris, ritibus, moribus & inſtitutis Mahometæorum,

EXCERPTA.

CAPVT I.

Mahometæorum ſectæ origo, atque inde nata hæreſis Perſarum.

EX Mahometæa, quæ Turcis Mauriſque communis eſt, non ſolum per univerſũ Oſmannidarum imperium, puta Ægyptum, Syriam, Armeniam, Meſopotamiam, Chaldæam, Cappadociam, Aſiam minorẽ, Imperium Trapezuntinum, Græciam

omnem, inſulaſque & Maris Mediterranei & Archipelagi, Peloponneſum item, Epirum, Ætoliam, Achaiam, Macedoniam, Sclavoniam, Boſniam, VValachiam, Serviam, Bulgariam, Myſiam, Vngariam, ſive Pannoniam, aliaſque regiones; verum etiam apud Scythas, Tataros hodie (vel ut alii volunt) Tartaros appellatos, Perſas, Indos, Arabes, Æthiopes, Africanoſq; cæteros longe lateque dominatur. Hi quidē omnes unum Deum creatorem univerſi confitentur, & adorant; Mahometem autem nuncium, atq; prophetam Dei ultimū, itemque Paracletum in Euangelio promiſſum, cæteriſq; qui ante eū fuerunt, & digniorem, & gratiorem, ac Deo chariorem affirmant. Opinionibus tamen circa legis doctores, & Mahometis in Caliphæ dignitate ſucceſſores, plurimū inter ſe differunt, varioſq; ſectantur interpretes; quod ut exponā noſtro propoſito, non videbitur abſonum. Heraclio Cæſare cum magna ex parte Imperium Rom. concidiſſet, nova è profundo barathro erupit religio, ſeu clades potius, ac lues humani generis. Ea initium ſumpſit ab Arabe quodam Mahomete nomine, qui humili & ſordido loco natus, ad majora adſpirans, auſus eſt Prophetam ſe dicere à Deo miſſum, qui leges perennes, noviſſima ſacra

mortali-

mortalibus traderet; cui nec acrimonia ingenii defuit, nec peritia ſacrarum rerum: quam ex Iudæis & Chriſtianis hauſerat. Hic flagitia ſua, ac mores quantumvis perditiſſimos callidiſſimè ſcivit occultare; & ſi quandò emergeret, in Deum & religionem transferre, ut facilè barbaros & rerum ignaros à veri cognitione averteret, atque in ſuam ſententiam traheret: eoque magis, quod novas leges (quas ſtupidis ea tempeſtate Arabibus & idololatris impoſuit) ad Gabrielem angelum referret: quo monitore ſeſe omnia gerere mentiebatur. A Chriſtiano autem Monacho Sergio, hæreſeos damnato, & ab Italia profugo, adjutus, hæreſim omnium peſtilentiſſimam in lucem edidit, imo potius omnes antiquarum hæreſium fæces, quas diabolo imbuente ſorbuerat, revoravit. Cum Sabellio & Arrio Trinitatem abnegavit: cum Ebione & Neſtorio Chriſti divinitatem abjecit: cum Macedonio Spiritum ſanctum Deum eſſe noluit: cum Manicheo mortem Chriſti negavit: cum Cerintho circumciſionem tenendam docuit. Ad hæc leges ſanxit, quæ mortalibus maximè arriderent, neque juberent quidquam, quod explendæ libidini adverſū eſſet; ut ſic homines ſeveritatis legū

ſuarum pertęſos ad ſe pelliceret. Neq; improbam ſpem fefellit eventus. nam ut ſunt plerique magis ad vitia quam ad virtutem proni, brevi factum eſt, ut etiam multi à Chriſtianâ fide deſciſcẽtes, peſſimam ejus legem amplexi fuerint. Quibus artibus tandem regnum adeptus, hoc ſucceſſu lætatus, nefariam hæreſim longè lateque diſſeminavit: jacto quidem dolis fundamento, gladiis tamen prolato imperio: nam quos arte capere non potuit, viribus in novum dogma ſubjugavit. Quo humanis exempto rebus poſteri aucti viribus & potentiâ, mirum in modum Imperii ſui limites propagarunt, ut jam Aſiam, atque Africam pænè totam, ac magnã Europæ partem invaſerint, victoriiſque frequentibus fermè Mundum occupaverint univerſum. Proximi in regño ſucceſſores fuere Ebubeccir, Omer, Oſman, denique Alim: qui tanquam ſacrorum reges & ſupremi legis Mahometææ Caliphæ, plurima Mahometis ſcriptis addiderunt. Hos, itemque Ebuhanifen, Malichim, Schaaffim, & Achmetem Sembelim, velut eximios Mahometææ legis doctores, ſeu Imamos, aut Santones, Turcæ, Arabes, Tartari, Indi, Africanique Mahometani omnes venerantur. Contra Perſæ hos omnes, *Ali ſeu Hali* excepto, velut hæreticos dete-

deteſtantur, ſcripta & libros eorum, ubicunque reperiant, flammis exurunt; crudeliter etiam in eorum obſervatores animadvertunt; Scheichadaris verò atque Haruſtis doctrinam veluti legitimam, ac cæteris ſinceriorem, & ſaniorem amplectuntur; quos tamen reliqui Mahometææ ſectæ cultores execrãtur. Hinc cruentum & vehemens inter Perſas & Turcas jamdudum ortum eſt bellum, atque ingens odium, ut in ſe mutuo tanquam hoſtes accerrimos, & hæreticos peſtiferos, crudeliter ſæviant: imo in eã rabiem progreſſa eſt religionis diſſenſio, ut Muphtis (qui eſt apud Turcas ſupremus ſacrorum antiſtes) in Perſas ſententiam tulerit, quâ gratius eſſe Deo affirmat religionis cauſâ Perſam unum occidere, quam ſeptuaginta Chriſtianos, Mahometææ legis hoſtes acerrimos. Sumpſit autem hæc nova Perſarum opinio exordium à Santone quodam Scheichadare nomine. Is regnante VſſumCaſſanePerſarum rege, poſteaquam diu latuiſſet, & ab hominum converſatione remotiſſimam duxiſſet vitam, tantam ſanctitatis opinionem, atque auctoritatem apud vicinos populos eſt conſequutus, ut ſimul atque è latebris prodiiſſet, ingens hominum multitudo (ut ſunt ſemper humanæ mentes novarum rerum cupidæ) ad

novum Doctorem è vicinis regionibus confluxerit, eique adhæſerit. Inter cæteros vero quidam Erdebil illuſtri natus familia regulus, Iſmaëlis Sophi Perſarum poſtea regis pater, qui cum cauſæ illius, tanquam rectæ religionis, ac ſanioris doctrinæ patrocinium ſuſcepiſſet, ejus fretus viribus, in Reza Perſidis oppido novam doctrinam primum diſſeminavit. Docebat autem ille non eſſe præſtandam fidem tribus Mahometis prophetæ ſociis, ac primis illius in regno & Caliphæ dignitate ſucceſſoribus: verum iis poſthabitis, ſolum Alim, ſi ſalvi eſſe vellent, in omnibus ſequendum: eum namque fuiſſe legitimum Prophetæ ſucceſſorem, ac verum Legis interpretem, & Calipham, non alios. Ad ſuam vero doctrinam comprobandam, Aliſque auctoritatem & dignitatem corroborandam majorem denique dictis ſuis fidem acquirendam, revelatum ſibi à Deo aſſerebat, Angelum Gabrielem è cœlis in terris quandoque miſſum, qui Alcoranum divulgaret, eumque Dei præcepto Ali primum traderet, ſed errore decepum Mahometi obtuliſſe. Deum vero ea re nihil offenſum, quippe qui hunc quoque tali dono dignum cenſeret; prætuliſſe tamen Alim Mahometi, vel ſaltē æquaſſe. Hinc quoque

que Mahometem Alim tanquam cæteris digniorem, & rebus gerendis magis idoneum, atque etiam ſibi propinquiorem, ut qui eſſet ipſius gener, teſtamento non ſolum hæredem inſtituiſſe, ſed & Calipham & regni ſucceſſorem declaraſſe. Ebukebirem nihilominus, ſpreto Prophetæ ultimo elogio, quorundam adjutum favore per injuriam ſe Calipham conſtituiſſe. Hunc ſecutos Oſmerem, & Oſmanem: Ali interim dignitate ſibi teſtamenti jure debita ſpoliato, in ſpelunca quadam abdita latente, & privatam ducente vitam: donec tandem illegitimis exſtinctis Caliphis, Dei judicio in debita ſibi Caliphę dignitate ſuccederet. Ideoq; cum manifeſtè inde conſtare diceret, primos illos poſt Mahometem Reges ſupremæ Prophetæ voluntati reſtitiſſe, & decretum irritum feciſſe, perduelles atque hæreticos exiſtimandos, adeoq; quæcunq; literarum monumenta poſt ſe reliquiſſent, flammis eſſe mandanda. Vt vero ſui aliquo ſigno à cæteris ſecernerētur, voluit ne lineis involucris, ut Turcæ, faſtuoſè caput ornarent, ſed tegmine tantum laneo & vili uterentur. Hinc Perſæ etiamnum, contra morem Turcarum, nequaquā Tulipantho albido, ſed rubro è lana pileo, duodecim habēte plicas, vel Tulipātho lineo

verſicolore caput tegunt: qui idcirco à Turcis contemptim *Cuſelbaſſi*, id eſt, Rubri capite, appellantur.

CAPVT II.

De variis Mahometææ Legis cultoribus, eorumque conditione varia.

PRævalent cæteris omnibus Mahometææ legis cultoribus quatuor præcipuæ nationes, viribus, imperio, & numero: Arabes, Tartari, Perſæ, & Turcæ. Inter hos Arabes, uti legis primitiæ, vetuſtioreſque cæteris, ſuperſtitioſi admodum & Zelotypi in primis, maximo in Chriſtianos odio ardent. Perſæ contrà mitiores, benigniores, & humaniores, Chriſtianis non adeò ſunt infenſi. Tartari Gentilium ritibus ex parte dediti, feroces quidem, & in Chriſtianos inhumani, cæteris tamen ſimpliciores rudioreſq; habentur. Turcæ verò Chriſtianorũ infeſtiſſimi hoſtes, dominandi libine agitati, ac Marti quodammodo conſecrati, armis potius vacant, quam religioni. Hinc regnorum amplitudine, potentiâ, fælicitate, ac rerum geſtarum gloriâ cæteros omnes Mahometæos longè antecellunt. Turcarum au-

autem alii ſunt nati, alii facti. Hi vel Chriſtianæ vel Moyſaicæ Legis deſertores, Mahometanā ſectam ultrò amplectuntur, vel à pueris in ſervitutem abducti, propriæ Legis neſcii, falsâ Mahometis lege imbuuntur. Ea enim eſt miſera ſanè Chriſtianorum in Europâ ſub Turcâ degentium conditio, ut vel inviti filios à ſe divelli parentes patiantur: cui namque terni ſunt filii, horum tertius Chiauſii arbitrio eligendus jure tributi cedit Imperatori. Hebræi, cum Mahometæam legem profiteri volunt, jam circumciſi, abjuratâ tantum Moyſaicâ Lege, ſolo juramento profeſſionē ſuam edunt: ita tamen, ut baptizati prius Chriſtum Mariæ Virginis filium fuiſſe Meſſiam, à Deo patribus promiſſum, & à Prophetis prænunciatum, jam in cœlo corpore & animâ manentem fuerint confeſſi. Chriſtiani adulti prius circumciduntur, & crucem ſibi oblatā ter pedibus conculcant, & ter conſpuunt; hæc ſubjungentes verba. *La Illah Illa allah, Mahomet ruſul Allah*: id eſt, Non eſt Deus niſi verus ille Deus, qui creavit cœlum & terram, Mahometes nuncius Dei. Interim tres ex adſtantibus Turcis totidem cœlum verſus ſagittas emittunt; quæ priuſquam in terram decidant, nomen ei Turcicum imponunt. Marem Thulipanto, ſplendi-

diſque veſtibus ornatum toto biduo per urbem equo vectũ circumducunt, ea ratione ne quis poſtea injuriis eum veluti infidelem laceſſat, ſed omnes liberum ac Mahometæi juris hominem eſſe agnoſcant. Si honeſtioris conditionis ſit, Chelibæi, proceresve urbis, nec non Genizari, equitantem per urbem honoris cauſa comitantur; ſolemni ſanè pompa. Præcedunt ſigniferi templorum inſignia Dei nomine inſignita geſtantes: ſuccedunt tibicines, tympaniſtæ, aliique diverſa pulſantes inſtrumẽta ſtridula: ſubſequitur multitudo populi, virilis ſexus homines; hi ſuum *La Illah Illa allah* elata voce decantantes, tanto ſtrepitu, tantoque ſtridore voces tollunt, ut adſtantium & prætereuntiũ aures obtundant. Inter hos medius equitat Novitius; quẽ denique ſequuntur nobiles ac milites Genizari, in prę-ſtantiſſimis equis. Tertio autem die circumciditur: & ex eo tempore Muſulmanus, id eſt Orthodoxus, aut Rectè credens ab omnibus appellatur; poteſtque liberè Mahometæorum ingredi templa, intereſſe ſacris, ac legere eorum ſacros codices, nec non quæcũque munia, præter eccleſiaſtica, ut nati Mahometani, obire. Turcæ, Mahometæique cæteri liberos ſuos non octavo à natali die, quemadmodum

He-

Hebræi circumcidunt, ſed cum ad minimum octavum, nonum, decimum, undecimum, aut duodecimum annum attigerint. Sunt qui in decimum tertium annum circumciſionem differant, exemplo Iſmaëlis filii Abrahæ, ea quidem ratione, ut per ſe fidei ſuæ profeſſionem edat, quidve agat, intelligat, ſciatque fidei, quam quiſque profeſſus eſt, aliqualem reddere rationem. Circumciduntur Turcarum filii vel in templis, vel in ædibus parentum, proximis conſanguineis convocatis; & quemadmodum noſtris liberis nomina in baptiſmo indimus, ſic Mahometæi ſuis infantibus nomina in ipſa ſtatim circumciſione imponunt. Chelibęi ſeu primates Turcici cum filium circumcidi volunt, feſtum diem agunt, & ſolemne convivium celebrãt. Inter epulas tempuſque cœnæ adducitur puer circumcidendus, cujus glandē illius artis medicus retegit, & replicatam pellem forpiculis apprehendit. Deinde quo metum adimat puero, ait ſe in proximã diem circumciſionem perfacturum; atque ita re infecta diſcedit. Mox ſimulans quaſi omiſſum aliquid eſſet quod ad pręparationē attinet, mēbrũ rurſum attrectat, atq; ex improviſo pręputium abſcindit, vulnerique parum ſalis & goſſypinæ telæ apponit. Per

tri-

triduum convivium continuant, eo abſoluto circumciſus ducitur in balneum cum maximâ pompâ. Cum domum redierit, ducitur per convivas; qui parata illi munera offerunt. Alii veſtes ſericas, alii ſcyphos argenteos, alii pecunias, alii equos. Mulieres quoque & ſua addunt donaria, aliæ ſudariola, aliæ induſia, aliaque linteola: & prout cujuſque ſunt opes, ſuam quiſque liberalitatem in circumciſum oſtēdit. Sunt ex primatibus qui in circumciſionis feſto bovem integrum exenterant; ovem ventri, ovi gallinam, ac gallinæ ovum includunt: ventrem hoc modo confertum conſuunt, ac publicè aſſant, poſtea cum propinquis lautè epulantur: quod ſupereſt, in pauperes erogant. Circumciſum albido Thulipanto mox ornant: pueri ſiquidem Turcici nondum circūciſi pileolo ſerico verſicolore, ejuſdem ferè formæ, quo apud nos honeſtiores pro tegmine domi utuntur, caput tegunt. Diximus ſupra, Turcarum factorum alios eſſe Chriſtianorum filios Europæos, pueros adhuc à parentibus vel invitis divulſos, ac perfidâ Mahometis ſectâ imbutos; alios grandiores natu, Chriſto abnegato Mahometæam perfidiam amplexos. Vtrique autem armis deſtinati, illi ubi ea exercere incipiunt Azamoglani dicuntur, Genizaris po-
ſtea

ſtea adſcribendi ubi in viros evaſerunt. Hi ſtatim ubi Chriſtianam fidem abnegaverint, ex ordine Genizarorum cenſentur, ſtipendiaque merent. Horum plerique ſi mancipia fuerint, vel pœnas indictas veriti, vel ſervitutis incommoda exoſi, id ſcelus committunt; ſi liberi, vel cauſa vindictæ, vel deſperatione ut plurimum ducti, vel publicis judiciis damnati, ſpe lucri, atque honorum faſtu allectati, in principes ut evadant viros, divitias conſequantur, ac ſæculi commoditatibus abundent, liberè etiam voluptatibus operã dent, Venereniq; præſertim illicitam impunè exerceant, in nefanda hæc incidunt. Ex his in omnibus ferè primariis Oſmannici Imperii urbibus, maximè Cõſtantinopoli, Cairo, Damaſco, Alepo invenias plurimos: qui Turcis natis duplo pejores, nequioreſque, & Chriſtianis in primis offenſi, nihil præter lucrum per fas nefaſque quærunt: delatores ſummi, utque alienigenis nocent vel maximè intenti. Nonnulli tamen Chriſtianis Occidentalibus quandoque confidentes, conditionem ſuam ipſis aperiunt, ſecreto ſe Chriſtianos eſſe confitentur, & licet palã ore Chriſtianiſmum negaverint, corde tamen Chriſti fidem amplecti, Chriſtumque ſe colere, non Mahometem, ac primâ occaſio-

occaſione paraturos abitum aſſerunt: quod tamen ſive pœnę timore, ſi ex fuga retrahantur perferendæ, ſive ſpe majorum opum accumulandarum, ſive voluptatis cauſa, cui renũciare nolunt, nunquã aut rariſſimè præſtant; ſed vel pertinaces (proh dolor) in eo vitæ genere moriuntur, vel negligentes (quã anhelare debebant) animæ ſalutem, uſq; adeo converſionem & nefandæ hæreſis abjurationem protrahunt, ut ſero tandem medelam animæ quærentes, non inveniant, miſereq; vitam finiant. Quare peregrinantem ſerio admoneo, ne unquam horum verbis fidem adhibeat, neve opem ullam iis præſtet; ſed velut peſtem fugiat, vel tum maximè cũ valedicere ſe velle Mahometææ perfidiæ, ac fugam tentare ſimulant: aſtu namque id faciunt, ut irretiant rerum ignaros, & quodam prætextu miſeros advenas tanquam Mahometææ legis infractores ad magiſtratus deferant, atque ex alterius detrimento nefarium ſibi lucrum quærant. Si vero in apoſtata deſit ſimulatio, & verè pœniteat, ac ſedulo aufugiendi occaſionem quærat, conſilium etiam & auxilium ad id petat, neque tum his ſe immiſcere rebus advenæ tutum erit: nam ſi fugiat, in familiares cadit ſuſpicio, & tanquam fugæ authores graviſſimè puniuntur.

CAPVT

CAPVT III.

Mahometææ Legis præcepta, ritus, ceremoniæ. Variæ item de Deo, de Chriſto, ejus Matre Maria, de ſalute hominum, ſacris Bibliis, ultimo Iudicio, Paradiſo, Inferno, Angelis, & Dæmoniis doctrinæ, & opiniones.

MAhometææ Legis præcepta (ut ad rem redeamus) præcipua hæc ſunt. Adorare unum Deum, eumque timere: circumciſionem ſervare; non tamen ob expiationem peccati originalis, quod nullum eſſe putant Mahometani: honorare parentes, templa ſtatutis horis adire, obſervare quotannis jejunium menſtruum, in pauperes eleëmoſynas erogare: non habere imagines, ſive pictas, ſive ſculptas, præſertim in templis: non committere homicidium, furtum, adulteriumve, ſed propria uxore, ſeu uxoribus, mancipiiſque eſſe contentum: abſtinere à vino, à carne ſuilla, à ſanguine, à morticinis, ab animalibus immundis. Quod ſi tamen

horum

horum aliquid quis prævaricatus fuerit, luſtratione, atque externâ corporis lotione vel tridui jejunio, eleëmoſynave, aut carcerati alicujus redemptione peccatum expiari credunt: & cum tam facilem peccatorum expurgationem eſſe ſibi perſuadeant, omnia pęnè mandata negligunt, & velut bruta animantia, & rationis penitus expertes in omnia vitia præcipites ruunt, & voluptatibus ac cœnoſæ libidini immerſi, deteſtandiſque erroribus impliciti nullum non ſcelus admittunt. Sodomiticum vitium pro peccato non habent, falſa teſtimonia, perjuria, rapinas, extorſiones, latrocinia, pauperum atque advenarum oppreſſiones, circumventioneſque, ac pejora his, tanquam leviora & communia pro nihilo ducunt; adeoq; præter exteriores quaſdam ceremonias, quæ plerumque in Lotione, Oratione, Templorum viſitatione, Eleëmoſynis, Peregrinatione, atque annuo Ieiunio, ciborumque delectu conſiſtunt, nulla illis religio, nulla pietas, nullaque penitus eſt diſciplina. In eo tamen commendandi quod in egenos miſeroſque homines multo largiores, liberalioreſque ſunt noſtratibus: largas enim in pauperes quoſvis ultro erogant eleëmoſynas, carceratis cibum ſuppeditant, eoſque proprio ſæpius ære è car-

ceribus redimunt: gratiorem namque eſſe Deo datorem illum putant, qui ſponte quid det, quã qui rogatus. Licet autem unum Deum æternum, factorem cœli & terræ confiteantur, & adorent, eumque omnipotentem, omniſcium, benignum, miſericordem, expertem iracundiæ, veniæ datorem, bonis præmia, malis cruciatus tribuentẽ prædicent: verum tamen Deum, qui per Filium Vnigenitum adorari, & coli vult, non cognoſcunt, cum trinum in perſonâ, & unum in eſſentiâ negent, Sabellium hæreticum in hoc ſequuti; qui unam in Deo eſſentiam ponendo, negavit Trinitatem perſonarum; aſſerens unam perſonam quandoque dici Patrem, quandoque Filium, quandoque Spiritum ſanctum. Negant adhæc generationem in divinis, Arrium ſequentes, qui FiliumDei creaturam eſſe dicens, manifeſtè generationem (quaſi opus naturæ) in divinis eſſe negavit. Cum vero nullam aliam generationem eſſe norint, quam carnalem, per commixtionem maris & fœminæ, Deum non poſſe habere filium, cum uxorem non habeat, putant; idque vel eo magis ſibi perſuaſum habent, quod inde univerſi deſtructionem cauſari poſſe quandoque exiſtiment. Nam (inquiunt) ſi Deo filius eſſet, fieri poſſet, ut

aliquando filius patri non obtemperet, ſed adverſetur: quod ſi contingat, maxima inde creaturis ſequutura incommoda, atque univerſi futurum excidiū. Quam male vero, quamque abſurde de Deitate ſentiant, non eſt noſtri propoſiti ut latius ea de re hic diſſeramus. Chriſtianis ſaltem conſtat Ioannis teſtimonio, *Niſi quis honoret Filium, Patrem nequaquam honorare:* adeoque illos fruſtra Deum Patrem colere, eique ſervire, qui Deum Filium ignorant: Nam, ut idem Ioannes ait, *Qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Spiritus Sancti quoque proceſſionem & Deitatem expreſſe negant, in hoc Macedonium ſequuti: qui Spiritum ſanctum non Deum à Patre Filioque æternaliter procedentem, ſed creaturam eſſe docuit. Eundem tamen nonnunquam cum perſona Chriſti conjungunt, ipſumque Chriſtum Spiritum Dei nuncupant: quem tamen non Deum, nec Dei filium, neque etiam humani generis redemptorem, ſed purum hominem conſtituunt, & Prophetam tantum, ſapientem, bonū, optimum, & veraciſſimum fuiſſe prædicant. Sunt etiam qui Chriſtum ipſius Mahometis teſtimonio, Verbum, Virtutem, Sapientiam, Animam, & Cor Dei, itemque Meſſiam promiſſum Iudæis,

daeis, nec non Mentem, Principium, & Caput omnium hominum appellent, & divino quodam afflatu è Spiritu ſancto conceptum, & ex Maria Virgine ſine patre generatum, atque omnis mendacii & peccati immunem affirment. ita ut ſibimet planè contrarii ſuo ſe gladio jugulent, adeoque vel inviti Divinitatem Chriſti palam profiteri cogantur. Tanta nempe & vis veritatis eſt, & virtus, ut eam ſæpe hoſtes, & ab ipſa extorres, obtorto velut collo velint, nolint, proferre & fateri compellantur. Porro è cœlo originē traxiſſe, converſatione ſanctum, doctrinam ſanctam ac rectam docuiſſe, eamque miraculis illuſtraſſe, ac confirmaſſe, cæcos enim illuminaſſe, leproſos mundaſſe, & mortuos ſuſcitaſſe fatentur omnes. Mortuum autem, ac revixiſſe, ut obſtinatè cum Manichæo negant, ita imprudentiæ & ſtupiditatis arguunt Chriſtianos, qui Chriſtum probra Crucis, Mortem acerbam & ignominioſam perpeſſū ſibi perſuadeāt credantq;. Cœleſte namq; corpus eum aſſumpſiſſe, eoque Virginis uterū penetraſſe cū credāt, morti obnoxium minimè fuiſſe exiſtimant; ſed immortalem, ac vivum, & incorruptū aſſumptum in cœlos in montē Olivarū prędicāt. In tāta enim fuiſſe apud Deū gratia ferunt, ut quū Iudęi in

eum conſpirarent, ex eorum manibus ereptum Deus in cœleſtem gloriã tranſtulerit: quia nimirum Dei bonitati indignum fuiſſe putant Prophetam inſignem & omni virtutum genere affluentem, nequiſſimorum hominum libidini exponere. Iudam verò proditorem in Chriſti ſimilitudinem (cum in horto quæreretur) mutatum, ejus loco ab invidis Iudæis captum, ac Cruci affixũ, & mortuum affirmant. Denique Chriſtum nunc coram Deo in cœlis in carne vivere, & Antichriſtum (ubi advenerit) gladio ſuæ virtutis interfecturum, & Iudæos reliquos ad legem ſuã converſurum. Extremi verò Iudicii die adveniente è cœlis ſe oſtenſurum omni populo, & judicaturum ſuæ legis homines, ac Deo proximum in Iudicio aſſeſſurum perhibent. Propterea Chriſti nomen non minus quam ipſius Mahometis execrantes acriter puniunt, honeſtiores pœnâ pecuniariâ, humiliores flagris. Neque Chriſti ſolum, ſed & Mariæ nomen blaſphemantes caſtigant. Sic enim lege cautum eſt. *Si quis ſive Chriſtianus, ſive Turca, vel Maurus, vel Arabs Chriſti illud verbum Dei, quem Virtute Spiritus Sancti à Maria procreatum credimus, vel etiam ipſam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit, & excellentiorem, blaſphemaverit,*

rit, præter mulctam pecuniariam, ſexagintæ fuſtiarii plagas ſuſtinebit. Cujus quidem Legis exactiſſima eſt apud Turcas obſervatio. Sanctos tam veteris, quã novæ Legis, puta Abrahamum, Iſaacem, Iacobum Patriarchas, Moyſẽ, Eliam, David Prophetas, Mariam Virginem, Catharinam, Georgium, alioſque invocant, non ut totidem Deos, nam unicum tantum Deum agnoſcunt eumque adorant, ſed ut Dei amiciſſimos, & apud Deum ſingulares interceſſores. Horum quoque ſepulchra viſunt, & venerantur, preceſq; juxta ea fundunt: non ea ratione quod mortuos colant, ſed quod eorum animas apud Deum vivere ac Divina fruitione gaudere credant: itaque licet ſciant eorum corpora in cineres eſſe reſoluta, quæ non alloquuntur, nec precantur, ſperant tamen ſanctiſſimas eorum animas ut luce Divinâ perfuſas, preces ſuas exaudituras, atque apud Deum pro ſe interceſſuras. Libris Euangelii (quos *Ingiles* vocant) ac Moyſis Pentateucho (*Trebit* illis appellato) ſi non integram, aliqualem tamen præſtant fidem: nam & creationem Mundi, Adæ formationẽ, ac omnem ferè Hebraicam probant hiſtoriam; Chriſti quoque ex parte doctrinæ aſſentiuntur. His tamen longè præferunt Alcoranum, id eſt Articulo-

rum ſeu Præceptorum collectionem; quem veritatis codicem nominant: eſtque illis velut Iudæorũ Pentateuchus, aut Chriſtianorum Euangelium. Huic addunt & Sunam. Is liber eſt, imo volumina multa, in quibus dicta atque facta ſunt Mahometis: quæ ſi quis legat, neminem tam à communi ſenſu putaverim remotum, qui non protinus ſuperſtitionẽ, deteſtetur; adeo pleraq; ſunt ridicula. Etſi vero in Suna nihil præter nænias & ſtulta fabulamenta invenias; illi tamen hæc omnia veriſſima putant, & tanquam oraculum venerantur. Licet autem Mahometes ſuis hiſce in libris Moyſem & Prophetas cæteros commendet, Davidem etiam, ejuſque Pſalterium ſummis efferat laudibus, ac Chriſtum denique ſupra omnes extollat Prophetas, cunctiſque viris, quos Mundus tulit, excellentiorẽ prædicet, nullumq; Iudæos poſt Chriſtũ habituros Prophetã velit, adeoque & Legem Moyſis, & Chriſti Euangelium ex parte approbet, atque etiam utrunque ſervari præcipiat, neutrum tamen amplectendum cenſent, quod Chriſtianos Euangelium, Iudęos legem Moyſis corrupiſſe, tantumq; in utroque veritatis eſſe, quantum in Alcorano ex illis citatur, exiſtiment. Cum vero præcepta Chriſti obſervatu difficillima, imo im-

impoſſibilia putent, Mahometem idcirco miſſum à Deo Prophetam, ac Dei juſſu mitiorem ac faciliorem edidiſſe Legem volunt, quo facilior foret credentibus via ſalutis. Et ut Euangelio prodito abrogata eſt Lex ceremoniarũ Moyſis, ſic Mahometem ſucceſſiſſe Chriſto, Deique mandato Alcoranum in Euangelii locum ſubrogatum exiſtimant. Neque ſolum Chriſto Mahometem ſucceſſiſſe, ſed etiam à Deo in mandatis habuiſſe, ut nõ amplius exemplo Chriſti, hortatione, verbo, & precibus ad Legis ſuæ obſervationem homines induceret, aſt ferro & viribus renitentes aggrederetur, & tanquam juſtitiæ divinæ vindex Chriſtianorum perfidiam (in tot hæreſes ſectaſque diviſam) caſtigaret, eorumque ſummam erga Deum ingratitudinem ulciſceretur, ac de nefario prioris legis contemptu vindictam ſumeret, prædicant. Vnumquemque tamen in ſua Lege, ſive Chriſtianum, ſive Hebræum, aut Mahometæum, modo honeſtè & juſtè vixerit, ſalvari poſſe, & miſericordiam à Deo conſequuturũ putant: quod & Alcorani ſui Azoara ſeu Capite ſecundò cõprobant. vbi legitur: *Quod omnis rectè vivens, boniqne operator indubitanter Divinũ amorẽ conſequetur.* Et Azoara 5: *Deus pius & miſericors prius Teſtamentum Vetus, dein*

Euangelium rectas vias hominibus tradidit, poſtremo Librum veraciſſimum Alfurcan vobis deſuper præbuit. Azoara vero 12. *Nemo perfectè fidelis eſt, qui teſtamenti Veteris, & Euangelii, non minus quàm hujus Libri (Alcorani) præceptis paruerit.* Hinc eſt quod Chriſtianos ſub Imperio Oſmannico degentes ad fidem Mahometanam amplectendam minimè cogant. Cujuſcunque enim ſectæ Chriſtiani fuerint, ſua lege, ſuoque ritu vivere cuique liberum eſt. Peculiarem propterea quæque natio Chriſtiana in eorũ urbibus oppidiſque Eccleſiam habet, & in ea publicum ſuę religionis exercitium: Quod ad Imperii Oſmannici incrementum plurimum facit. Hac namque ratione Imperator ſubditos ſuos, etiamſi alienigenæ Legis ſint, ſibi benevolos reddit, auctoritatem etiam ac regnorum amplitudinẽ ſibi conſervat. Quare ut provinciam aliquam bello ſubjugaverit, ſat ſibi eſſe putat, ſi ſubditos obedientes habeat, & modo tributum præſtent, quâ religione demum vivant, curat nihil. quâ arte amplitudinem imperii ſibi peperiſſe, atque hactenus ſtabiliviſſe multi putant. Interim tamen quo modo ſalventur animæ, variæ ſunt apud Turcas opiniones. Alii namque ſolam Divinam gratiam ſufficere ad ſalutem, alii contra Legem quam quiſ-

que

que profeſſus fuerit ad amuſſim debere obſervari ac ſemotâ gratiâ ſolis bonis operibus ſalutem acquiri poſſe exiſtimant. Sunt qui ſolos Mahometææ Legis obſervatores ſalvandos credant, cæteros nequaquam. Id vero vel maximè in gente hac cæcâ deplorandum exiſtimo, quod Satanico quodam inſtinctu viam ſibi præcludentes ſalutis, nullum contra Mahometis doctrinam, fabulaſve docentem, prædicantemve admittant, aut diſputantem; ſed ſolum armis eam defendendam putent; idq; ex Legis præſcripto; quo omnis diſputatio de fide Mahometana Laicis ſub pœna capitis interdicta eſt. Sacerdotibus autem permiſſa, cum vel inter ſeſe exercitationis ergo, vel cum Perſis hæreticis ad refellendam hæreſim diſputant, alias nequaquam. Apoſtatas flãmis mox interimunt; parique pœna Chriſtianos, qui veram Fidem aliquem eorum docere præſumat, plectunt, puniuntque. Sive enim Græcus aliquis ſive Romanus, Mahometæum ad ſuam quiſque religionem abducere conetur, Lex illi ſtatim mortem decernit. Quinimo ſi Perſa quiſpiam in ſuam hæreſim Turcam aliquem pertrahere ſatagat, non minus hunc, quam Chriſtianum mortis ſupplicio adjudicat: cum neminem Turcæ patiantur à ſua ad aliã

quamcunque religionem averti. Vt autem nullã ſuæ ſectæ impugnationẽ admittunt; ita neq; eam uti nulla ratione ac veritate fultam, argumentis, diſputationib⁹, publicisq; concionibus propagare ſatagunt; ſed vi, minis, injuriis, perſecutionibus, aut his ſi nequeant, pollicitationibus, largitionibus, ſæculi blanditiis, honoribus, muneribus, carniſq; allectamentis pervertere fideles, & ad ſuam attrahere perfidiam conantur. Si neque hoc modo efficere quicquam valeant, ex mandato ſui Prophetæ ſtudent ut ipſis imperent. Neq; ſolum vera Dei cognitione (ut diximus) carent, ſed ridicula præterea multa, & gerris Siculis vaniora, de corporum Reſurrectione, de extremo Iudicio, de Paradiſo, & Inferno, deque Angelis & Dęmoniis ſomniant, & nugantur: quorum aliqua hîc duximus ſubjungenda, ut ex iis lector agnoſcat, quam craſſis erroribus, vaniſq; ſomniis cæca hæc gens irretita ſit. Extremi Iudicii diem in proximo eſſe, Antichriſtum venturum peſſimũ hominem, & à Chriſto occidendum: prius tamen neſcio quem Prophetarum (qui mortales omnes de peccatis, quodque Legi Mahometææ nõ paruerint, arguet) exoriturũ credũt. Vbi vero dies Iudicii aderit, Angelum quẽdam tuba ſoniturum; ejuſque terribili ſonitu homines pa-

pariter & Angelos mortẽ occubituros, unico excepto tubicine. Mox horrendo terræmotu univerſã terrã conquaſſandã, dein igne è cœlo lapſo Orbẽ terrarũ conflagrandũ, montes & valles in cineres vertendas, demum Angelũ tubicinẽ etiam moriturũ. Angelis hominibuſq; exſtinctis, totaque Mundi machina incendio deleta, tũ futurũ, ut Deus quadraginta dies totidémq; noctes *ſui zechaman*, hoc eſt, pluviam miſericordiæ pluat, eaque rurſus Angelos omnes & animas Hominũ excitandas. Extremo mox ab Angelo edito ſono, tum quoq; hominum corpora vitæ reſtituenda, ac cum animis rurſũ conjungenda. Hiſce diverſam tribuunt formã: nam eorum quos glorię participes futuros credunt, alios ut Stellas, alios ut Lunã, alios ut Solẽ ſplendituros, eoſq; cæteros omnes illuſtraturos. Cõtra vero damnatos colore horridos, in varias item deformeſque formas diſtinguendos: utroſq; tamen in quinquaginta partes juſſu Divino prius dividendos, rationem ſcilicet anteactę vitę ut reddãt omnes: quod ſi præcipua corporis membra, cor & caput peccata & crimina, quæ in vita cõmiſere, ultro confiteri noluerint, cætera tũ mẽbra corã omni populo ſcelera cuncta detectura. Demum Michaëlem Archangelũ corpora humana in ſtatera pen-

penſitaturum: quorum autem bona opera malis non præponderent, Inferni ſuppliciis tradendos: reliquos vero perpetuis Paradiſi voluptatibus & gaudiis fruituros. Neque vero unicum voluptatis Paradiſum beatis tribuunt, ſed ſeptem beatorum ſedes, ſeu Paradiſos ſtatuunt: quorum nomina hæc ſunt: *Genete Alhord, Alfiducci, Anachim, Reduan, Azelem, Alcoduz & Almega.* quos nec ejuſdem eſſe formæ, nec ex eadem conſtare materia, ſed alium argenteũ, alium aureum, tertium gemmeum, quartum ſmaragdinum, quintum adamantinum, ſextum è carbunculis ignitum, ſeptimum ex luce divina compoſitum volunt. In his aulas & cubicula gemmis diſtincta, viridaria varia, miro odore fragrantia, fontes item & flumina melle, lacte, & vino præſtantiſſimis, dulciſſimiſque ſcatentia conſtituunt. Ejus medium arborem occupare *Tubam* nomine, adeo denſam latamque, ut omnem Paradiſum obumbret, ejus folia ex auro & argento conſtare, ſingula habere inſcriptum nomen Dei, & Mahometis. Varia ibi fore ornamenta ſupellectilem variam, ex argento, auro, & gemmis conflatam; veſtes item, lectos, pulvinaria è ſerico & byſſo, auro & argento intexta. Has eſſe perpetuas beatorum ſedes, hic ſuum cuique à

Deo

Deo quietis & beatitudinis aſſignatum locum: hîc beatos omnes veſtibus indutos ſericis, molliſſimis, & coloris omnigeni, ſub ampliſſimæ arboris fæliciſſima umbra æternum gaviſuros. Porro quicquid ciborum & fructuum deſiderari poſſit, ſingulis abundè & lautè hîc Angelos impertituros: eos namque tanquam dapiferos, pincernaſque, delicatiſſimos cibos, vinaque ſuaviſſima, & pretioſiſſima aureis in vaſis, argenteiſque ſingulis affatim miniſtraturos. Complexibus inſuper mundarum & ſpecioſiſſimarum fœminarum, ſtellarum inſtar micantium, fruituros. Has non ab hominibus genitas, ſed ab æterno ad beatorum uſum creatas fabulãtur. Quas autem Alcoranus mundas appellat, illi liberas à menſtruis interpretantur, ſcilicet ut quovis tempore liceat coire. Non tamen inde futuram prolem, ſed voluptatis cauſa adhibendas volunt. Quin & ſingulis viris complures illic futuras uxores pro meritorum ratione, Deumque huic plus, illi minus virium largiturum, ut vel paucis, vel multis reddat debitum: atque inde etiam colligunt, nihilque certius eſſe ducunt, longè plures futuras in Paradiſo fœminas quam viros. Denique omnes tantas delicias tantaque carnis delectamenta percepturos credunt,

quantæ

quantæ excogitari à quoquam poſſint. Harum omnium tamen miſeras ſuas mulierculas nolunt fore participes; ſed Paradiſo excluſas eminus tantum virorum gaudia intuituras nugantur. Tranſgreſſores vero legis Mahometææ & Prophetæ ſui adverſarios, ac cæteros damnatos, prius tamen gravia paſſos, hujus quoque beatitudinis quandoque partem habituros, celebrato nimirum à Deo in Paradiſo *Alcoduz* nomine convivio, quod *Hadrate Alcoduz* vocant: tunc enim omnes à pœna Inferni à Deo Mahometis opera fore liberandos. Hunc ſiquidem flamma exuſtos, atros, ac torridos ad fontem quẽdam *Alcanzar* nomine in medio Paradiſi conſtitutum (de quo mira & anilia planè narrant ſomnia) deducturum omnes; in quo poſtquam ſe laverint, jam nive candidiores cum cæteris beatis perpetuis deliciis fruituros. De Angelis abſurda planè memorant, & à natura Angelica prorſus aliena: eos ſiquidem corporeæ ſubſtantiæ, de flamma ignis generatos, mortales eſſe, ac peccare poſſe putant; diverſaſque eis tribuunt formas, hominum, equorum, boum, gallorum, aliorumque volatilium, & quadrupedum: quos ettiam pro iis animalibus, quorum formas referunt, offerre Deo preces exiſtimant.

mant. In tertio Cœlo Angelum inter cęteros ſtatuunt *Melec Almeuti* nomine, hoc eſt Angelum mortis, tantæ vaſtitatis, ut oculi ejus ab invicem diſtent itinere ſeptuaginta dierum. Hunc in libro vitæ (quem jugiter volvit atque revolvit) omniũ naſcentium nomina, atque eorũ vitæ terminũ à Deo cuique conſtitutũ, ſcribere, eademq; inſtante mortis hora delere: cujus vero nomẽ deleverit, ſtatim è vivis excedere nugantur. In quarto Cœlo omniũ vaſtiſſimũ conſtituunt Angelũ, plangentem jugiter condemnatorũ peccata, dolẽtemq; miſerã eorum conditionem & ſtatum. In ſeptimo Cœlo Angelũ exiſtere inter cæteros narrant, 7000. habentem capita, unũquodq; vero caput ſeptingẽtas mille continere linguas, ſingulis linguis totidẽ ineſſe voces, iiſque abſq; ulla intermiſſione Deũ laudibus efferre, ac Sanctũ ejus celebrare numen prædicãt. De Inferno, quem ſeptem patere oſtiis dicunt, deque ſitu ejus, & conditione, de dæmoniis (quos etiã ſalvandos quandoque ex Origenis opinione credunt) eorumq; variis formis, deformitatibus, & pœnis, nec non de condemnatorum ſtatu & tormẽtis tam mira narrãt ſomnia, tamq; ridicula, ut qui ea legerit, riſũ cõtinere non poſſit. Quis unquam mortaliũ his quæ retulim⁹ audivit vaniora? quis.

quis ſtulta hęc blateramenta non rideat? & indigna putet quæ ſanæ mentis hominibus exponantur? & tamen miſera illa & cæca gens nihil verius hiſce nugis putat, imò pro ipſa veritate habet, & amplectitur; atque adeo dæmonum præſtigiis excæcata & faſcinata eſt, ut etiam Alcoranum ſuum ac Sunã aniles haſce fabulas & ſomnia continentem, Veritatis codicem appellare non vereatur. Sed de nugis jam ſatis; ad multifarias nunc eorum lotiones, quas expurgationi peccatorum in primis prodeſſe exiſtimant, veniamus.

CAPVT IV.

De Turcarum variis lotionibus, & balneis: deque balneorum apud eos forma, & uſu.

NIhil equidem Mahometæ legis cultoribus magis curæ eſt, quam ut luſtrali aqua bis terve in die ſeſe abluant. Idcirco Meſſitis ſuis pulcherrimos adjungi fontes curant: quo commodius quotidianæ luſtrationes ſive ablutiones ab omnibus Templum ingreſſuris peragi queant. Nefas alioquin eſſe ducunt illorum quempiam Templum ingredi. Hanc externã lotionem cęteris

ſuæ legis præceptis longè anteferunt, neque quovis oblato impedimento prætermittunt: efficaciſſimũ ſiquidem remedium ad animæ inquinamenta emundanda eſſe cum putent, Deo maximè placere, eaque in primis ſe Deo reconcilatum iri ſperãt confiduntque. Triplex vero lotio apud eos in uſu eſt. Prima quoties vel templa adire, vel precibus vacare intendunt; nec enim ſe poſſe ſine luſtratione horarias preces ritè peragere putant. Hæc autem luſtratio ita ſe habet: Brachiis ad cubitum uſque denudatis, manus inprimis lavant: dein dextrum erectum brachium, à manus ſummitate inchoantes, palma ſiniſtræ manus abluunt, aqua per extremum cubitum in terram delabente: idem in ſiniſtri brachii ablutione obſervant. Vtroque abluto, os, naſum, oculos, aures ac faciem deniq; totam, collum item, verticemque capitis, mox & pudenda, poſtremo vero pedes, ſi nudi fuerint, ſi vero calceati, extremitatem tantum, ſuperficiemque calcei aqua madefaciunt. Dum vero ſe lavant, ſubmiſſa voce preces obmurmurant, atque inter alia, *Elhemdu lillahi*, id eſt, gloria vel laus Deo: alii, *iſtagfurlak*, hoc eſt, peto veniam, vel, Miſerere mei, ſubjungunt. Lotione peractâ, linteolo (quod ad zonam appenſum ha-

bent) ſeſe abſtergunt. Quod ſi in deſerto fuerint, aut loco ubi aqua deſit, terra aut pulvere corpus adſpergunt. Hoc tum eandem obtinere vim autumant, quam habet lotio. Hac ad leviora vitia emundanda; ad graviora vero, puta homicidium, furtum, ſtuprum, adulterium, aliave his ſimilia, lotione totius corporis opus eſſe ſtolidè arbitrantur. Hinc tot ubique per urbes atque oppida videre eſt balnea publica, quæ dies noctesq; cum viris tũ fœminis patent. Ne vero hîc indecora, libidinoſa, aut turpia fiãt, viri cũ fœminis promiſcuas lotiones haudquaquam peragunt, ſed qua hora fœminas intromiſſas norunt, ad eas accedere viros nefas eſſe ducũt. Sunt autẽ balnea hæc pleraq; lapidea, nonnulla etiã marmorea, vel intus foriſq; marmore obducta; ampla quidẽ, atq; in plurima diſtincta concamerata cubicula, eleganti ſanè opere, ac magnificentia inter ampliſſima Turcarum ędificia publica privataque plurimum eminentia. Ingredientibus primo loco ſe offert ſpatioſũ patẽsq; quadrata forma apodyterium, cujus pavimentũ parietesque verſicolore veſtiti marmore plurimũ relucent. In pavimenti medio marmoreum labrum quadrangulare amplum fontem excipit. Circumquaque parietibus murus adjectus, mar-

marmore pariter verſicolore cõſtratus, latus pedes quinq;, à terra pedes tres, aut quatuor eminet. Hunc loturi adſcendunt, & veſtes complicatas in eo collocant, ſervanturque à balneariis, quoad loti eas repetant. Super labrum è fornice pendẽt perticæ quaternæ oblongæ ; quarum imæ tranſverſis infixæ perticis, triplici ordine, uno alteri eminentiori quadrangulum conſtituunt. In has balneatores ſudaria, aliaque linteola, ut plurimum ad balnei uſum ſpectantia, exſiccanda, mira quadam dexteritate canna Indica injiciunt, extenduntque. Veſtibus eo loci depoſitis, duo cuique loturo porriguntur ſudaria, alterum quo corpus pudendaque tegat, alterum quo caput cingat: atq; ita ad penitiora pergunt loca. Progredientibus primum ſeſe offerunt ſudatoria, quorum extremum majus & calidius cæteris, patenti labro marmoreo & calidas continente aquas ornatum eſt. Omnes vero cellæ fornicatæ, cubiſque tectæ ſunt. Quarum ſuprema cubæ pars ſpecularibus verſicoloribus miro ordine compoſitis ornata, intus lucem reddit, additq; operi elegantiam & ſplendorem. His cõtigua hærent alia duo triave cubicula; quæ nobilioribus tantũ patent, nõ item cæteris. Vltimo ſe offert ſpatioſa & ampla cella, in qua

vas ingens marmoreum videre eſt, aquas recipiens calidas, frigidasque: quod poſt ſudationem quiſq; ingredi, aquas pro ſuo temperare arbitrio, lavare corpus, aut lavandum dare balneatoribus, prout libet, poteſt. Cubicula hæc omnia unico igne è fimo camelorum vel caprarum ſuppoſito caleſiunt. Sunt aute balneato um ſervitia ſic ſatis ſtudioſa; habentque mirabilem modum rectificandi membra balneantium. V tuntur adhæc ad pilos toto corpore depellendos ullâ abſque læſione, unctione quadam, quam *Ruſma* indigitant, è minerali & calce viva aquæ commixta compoſita. Lotis atque ad apodyteriũ reverſis duo munda ſudaria exhibentur, quibus lotorum corpora balneatores deſiccant. His ita peractis, ac balnei præfecto ſoluta mercede, quæ ſanè perexigua eſt, loti lætique diſcedunt. Neque ſolum viri, ſed & fœminæ ad balnea hæc admittuntur: ſeparatas tamen à viris lotiones habent. ſudaria, cæteraque ad balnei uſum neceſſaria ut plurimum ſecum deferunt: humiliores ſe mutuo, honeſtiores ancillæ vel ſervæ (quas ſecum adducunt) lavant. Ad balneorum oſtia, ubi fœminæ adſunt, linteum ſuſpenditur, ſignum viris, adeſſe mulieres, ne ſe temerè aut ignoranter ad eas ingerant. Chriſtiani nul-

nulli, ut nec Hebræi, ab ingreſſu balneorum arcentur, aſt liber cuique patet aditus: excipiunturque perhumaniter omnes, modo ab ingreſſu abſtineant cum fœminæ intus lavant. Cavere autem ſummoperè debent Occidentis Chriſtiani ne quiſpiam eorum balneũ accedat ingrediaturve ſolus: id enim ſi faxit, verendum maximè ne Turcarum, Maurorumve delationibus ſe reddat obnoxium, ac pœnam temeritatis vel immeritus luat. Chriſtianum itaq; linguæ Turcicæ vel Arabicæ peritum, ne decipiatur à barbaris, adhibere ſibi comitem ne negligat, ſi ſaluti, ſi crumenę conſultum velit. Et hęc de ſecunda lotione dicta ſint. Tertiam neceſſariam putant, cum vel alvum vel veſicam exoneraverint: gravi enim naturæ onere depoſito, tam viri quam fœminæ, non charta, linteove detergunt anum (id enim religioni habent, putantque ſic Deum offendi poſſe, quod ejus nomen plerumq; in charta ſcribatur,) ſed aqua frigida ſibi abluunt ipſi, primatibus mancipia. Latrinæ à noſtris diſſimiles cloacæ ſunt, ſub dio poſitæ, & ab ædibus remotæ, profundæ, & latæ ſeſquipedem: quibus incurvato corpore inſident. Refertæ expurgantur, & per cõtiguos ſubterraneos meatus ſordes emittuntur. Dum verò lotium red-

dunt, viri (ut ſunt ſuperſtitionibus addictiſſimi) ſubligacula diſſolvunt, & veſtes poſt terga rejiciunt, ne ſi urina adſpergantur, in legem peccent. In Suna ſiquidem præceptum eſt, ut ubi quis minxerit, ſiniſtræ manus digitis exprimat, ſi quid fortè circa præputium ſit reliquum: atque etiam in eum uſum pannum plerumque ſecum deferunt, abſtergendi cauſa: qui ſi defuerit, lapillum aliqui è proximo tollunt, quo ſummitatem virgæ perſtringunt, ne vel guttula veſtes coinquinet. Hinc quoque non recti, ſed incurvi, & ad terram uſque inclinati fœminarum more conjunctis cruribus lotium emittunt. Si adſit fons, ſtatim membrum genitale abluunt; alioquin aqua, quam vel ſecum deferunt, aut deferendam curant, ſe luſtrant: imo (quod magis mireris) ſi vel pepederint tantum, luſtratione opus eſſe exiſtimant.

CAPVT V.

Templa Mahometæorum: precandi ritus & ceremoniæ: conciones & ſuperſtitiones.

LOti (ut diximus) Templa accedunt, neque enim aliter ſe fore gratos Deo, & exaudiri ſuas preces exiſtimant. Templa Meſſitæ, ſive Moſcheæ, vulgo Meſchit appellantur: quod tamen propriè denotat lignea Templa, qualia exſtruebant nondum Imperii opibus auctis. Lapidea vero proprie *Zuna* dicuntur. Hæc ſphęricam pleraq; formam referunt, exceptis quæ primum ritui Chriſtiano conſecrata, in ſuas Meſſitas commutarunt. Sunt autem elegantis & magnifici operis ædificia, è lapide albido, ſeu vivo ſaxo, æquali ferè mēſura conciſo: teſtudine ſuperimpoſita, ac plumbeis laminis tecta, pulcherrimo foris intuētibus ſpectaculo. Intus quidē tota dealbata, nullus tamē prętereà ornatus, nullæ imagines, nulla altaria, ſed nudi tantū parietes conſpiciuntur. Quæ vero pars ad Meridiem vergit, ac portam plerumq; è regione habet, concavitatem quandā in medio continet,

cubitali forma ſemirotundam, parieti interiori inciſam, lapide marmoreo ornatam, ſtatuarum loculis non abſimilem. Locus is Dei nominis inſcriptione inſignitus, ſacratior cæteris habetur, & Chriſtianorum Aræ Maximæ reſpondet: ad quem accedere (dum publicæ in templo fiunt preces) cuivis non licet, ſed ſoli Seripho, qui Mahometæis loco ſacerdotis eſt; & tum lychno penſili illuſtratur. Sunt præterea lampades plurimæ è fornice dependentes, quas tempore Precum accendere, iiſque finitis exſtinguere ſolent. Storeis è cannis pavimentum inſternunt. His plebeii ſuo more inſident, ditiores tapetibus utuntur; quos mancipia ipſis ſubſternunt. Ad hæc templa nemini Chriſtianorum patet aditus: prophanari ſiquidem Mahometæi putant, ſi Chriſtianus aliquis ea introeat: quare ſummoperè cavere debet Chriſtianus ne temerè ea ingrediatur: id enim ſi faxit, vel fidem Chriſti abneget, & Mahometæis ſacris initietur, vel ultimum ſupplicium ſuſtineat, neceſſe eſt. Quemadmodum autem diligenter caveant ne Chriſtianus quiſpiam eorum Moſqueas ingrediatur, interſit ceremoniis, libros eorum ſacros legat, inſpiciatve; ita multo ſtudioſius obſervant, ut nemo nuper è Chriſtiano factus Mahometeus

ad miniſterium eccleſiaſticum aſſumatur. Ad ſacra ſiquidem adminiſtranda apud illos portentum habetur, ſi quiſpiam adſpiret, qui non Mahometano patre natus, à prima ætate conſtans & aſſiduus fuerit Mahometanæ legis cultor. Etſi vero ſepenumerò plurimi ad illos confugiant abjectis cucullis, & religione Catholica abnegata religioſi, tam Græci, quam Latini ritus, neminem tamen reperias, qui ad honorem Eccleſiaſtici miniſterii vel adſpiraverit, vel admiſſus unquam fue[illegible]. Tanta enim illorum animos ſacrarum rerum reverentia occupavit, ut cæteris neglectis, ſolos illos ad ſacra adminiſtranda dignos putent, qui ab incunabulis Mahometææ religioni fuerint addicti. Præaltæ Meſſitis adjunctæ ſunt turres, quas *Madenas* appellant, figuræ quaſi ſphæricæ, aut cylindricæ, ſeu teretes, ea forma, ut in ſupèriori parte propemodum ubi occipiunt diminui, & tandem in acuminatum faſtigium deſinũt, in projectura lapidea quaquaverſum obambulari poſſit. Has ſtatis horis interdiu noctuque conſcendunt Hoggii, & circumeuntes projecturam, ſeu porticum, acutiſſima voce clamorem tollunt, digitis in alteram aurium inſertis: eoque clamore populum ad Orationem convocant, & ad invocan-

dum Numē exhortantur. Vox ipſa longius quā credi poſſit à quoquam qui ea loca non adierit, perſonat, atque exauditur. A meridionali autem turris latere clamorem exordiuntur; dein ad Orientem vergentes, continuato gradu circūeunt, atque interim *La Illah Illa Allah*, itemque *Allah haibir*, (quod nobis eſt, Deus vivus eſt unus,) alta, rudi, ac fracta voce reboant, repetuntque pluries. Addunt quandoq; & Hymnos, & Cāntica in laudem Mahometis. Eo vero ordine atque obſervatione clamores hoſce inſtituunt, ut niſi prius ſupremæ Meſſitæ Hoggius inceperit, cæteri abſtineāt; eo vero inchoante, ſubſequantur & reliqui; ac demū finem imponēte eodem, ſileant omnes. Clamor hic noſtris reſpondet campanis, quarū nullus apud Turcas eſt uſus: nam præter preces faciendas, etiam horas dierum populo denotat, cùm horologia nulla habeant: ſi quæ tamen ad eos perveniunt, planè admiranda, & proceribus longè gratiſſima ſunt, eorumque uſui privatim ſerviunt. Hoggii vero ſive Choggii clepſydris utuntur, ad diſtinguendū tam diurna quàm nocturna temporum ſpatia; quibus publicas Preces accommodant. Quinquies autem interdiu noctuque ad horarias has preces populū excitant: quibus hæc indita ſunt nomina, *Aſcher*, *Adorh*, *Aſſera*, *Magreb A-*

leſcher.Primā ſecunda antelucana hora obſervant;quæ continet quatuor *Erket*, & duo *Chalamat*.Erket autē eſt gemina inclinatio,cum totidē proſtrationibus. Chalamat eſt ſecreta oratio,quę cū certis ceremoniis perficitur poſt quālibet proſtrationem.Secundā circa meridiem faciunt, quæ continet decem proſtrationes, & quinque orationes ſecretas: tertiam poſtmeridiem : quæ continet octo proſtrationes, & quatuor orationes ſecretas: quartam ſole occidente; quæ habet quinq;proſtrationes, & tres orationes ſecretas: quintā & poſtremā circa mediā noctē:quę cęteris prolixior eſt,habens quindecim proſtrationes,& octo orationes ſecretas;ideoq;à Santonibus inſtituta dicitur,ut populū augēdū indicet,quo creſcente, Fides quoq; eorū creſcat & multiplicetur. Has quidē preces quiſq; Mahometęorū cū Parochiano Hoggio ſuo in Eccleſia propria frequētare tenetur,niſi legitimè impediatur:tunc enim omni loco hoc licitè facere poteſt.Singulis dieb⁹ Iovis Taliſmanni, Choggiiq;, turriū projecta ſeu portic⁹ circa veſperū conſcendunt,lāpadibuſq;accenſis illuſtrāt:quas,dū per ſe extinguātur,relinquunt.Interea illi variis Hymnis Mahometem celebrant, Deoq;alta voce gratiā qualemcūq;referūt.Die Veneris, qui illis hebdomadatim,ut nobis Dominicus, ſacer, omnes

cer-

certis horis ad Templa convolant, & orationibus vacant, atque attentius orant: non tamen à laboribus, negotiisve eo die abſtinent: ſed officinas tantum, dum Preces fiunt, occludunt; finitis aperiunt, & ad ſua ſinguli negotia redeunt, fæliciores ſe ſequenti hebdomada futuros arbitrantes, ſi eo die merces ſolito plures divendant, & lucrentur. In ſeptem autem dies (uti & nos) tempora diſtribuunt, hebdomadasque conſtituunt. primum *Zumaghiuni*, id eſt, diem Templi vocant, nos diem Veneris: ſecundum *Zuma Erteſi*, id eſt, poſt Feſtum, nos Sabbatum: tertium *Bazarghiuni*, id eſt, diem Mercatus hebdomadarii, nos diem Dominicum : quartum *Bazar Erteſi*, id eſt, poſt Mercatum, nos diem Lunæ : quintum *Salli*, nos diem Martis: ſextum *Dſarſcamba*, id eſt, quartam Feriam, nos diem Mercurii: ſeptimum *Peſchembè*, id eſt, Feriam quintam, qui nobis dies Iovis eſt, indigitant. Precum publicarum tempus ubi adpetiit, ſuo quiſque relicto negotio, atque opere, ad Templum accurrit ocius. Illoti in fonte Templo proximo diligenter ſe lavant, ante januam Templi calceos exuunt, & diſcalceati templum ingrediuntur : tacite ad ſuum quiſque pergit locum, nec reſpicit uſquam. Nullæ intus deambulationes,

confabulationes, riſus, joci, ſtrepitus, (ut in noſtris proh dolor fit Eccleſiis) nullæ item tuſſes, nec ſternutationes, imo ne ſputantem quidem ullum audias: quieta, ſedata, compoſita hic omnia. Viri inter precandum pileos vel Thulipanta ſua non deponũt, ſed ſummis digitis attingunt: quaſi elevaturi. Tum ſinguli in Seriphum vel Hoggium oculos figunt, ejuſque motus & corporis geſtus diligenter obſervant, & imitantur, in terram procumbunt, & verſus Meridiem ſe ſtatuentes precibus incumbunt: hoc ſervato ordine: Seriphus, vel Hoggius, aut alius, qui vel ætate vel dignitate aliqua eminet, primo genua flectit: poſt eum reliqui in Templo præſentes: porro primus ille ubi ſingulos genua flexiſſe putat, tum ſe proſternit: poſt eum & reliqui, prout ordine conſident, proſtrati aliquamdiu cum gemitibus & profundiſſimis ſuſpiriis orant. Tum primo illo erecto, erigunt ſe cæteri. Atque ad hunc modum pluries faciunt, prout tempus orationis poſtulat. Nam pro temporis ratione (uti ſupra recenſuimus) vel minores, vel plures genu flexiones, proſtrationes, & ſecretas orationes publicis hujuſmodi Precibus adhibent. Tandẽ finitis precibus, quaſi impetraverint quod petierunt, lęti conſur-

ſurgunt. Seriphum interdum Orationẽ cum cantu inchoantem ſinguli cantantes ſubſequuntur, uniſonoque cantu, modo ſtantes, modo ſe inclinantes, ac rurſus poplitibus deflexis terram deoſculantes, vel fronte eam tangentes, Deum ſuo more invocant & adorant. Eſt autem orationis, quam ſępiſſimè iterant, hæc communis forma: *In nomine miſericordis Dei: Sit laus Deo in æternum, Regi ſæculorum ſupremo, propitiatori & pio Regi Iudicii. Serviamus igitur illi, quia adjuvabimur. Dirige nos in viam ô Deus, & in ſemitam eorum in quibus tibi complacuiſti, & quibus non iraſceris; & nequaquam errabimus.* Hanc *Elſata* vocant, eſtque illis tam uſitata, quam nobis Oratio Dominica. Habent præterea & alteram quotidianã: qua: recenſo prius omnium hominum ſtatu, Muſſulmannorum ſalutem, Imperii fælicitatem, ſectæ Mahometææ augmentum, hoſtium & præſertim Chriſtianorum diſcordiam, atque excidium à Deo precantur. Precatione finita Laudes, Cantica, & Hymnos ſuo more ac modulo è ſuggeſtu concinunt. Poſtremo Canticum *La Illah Illa allah* elata voce quotquot adſunt perſonant. Dumque his clamoribus ſunt intenti, alii corpus, caputque continuo agitatu ita quaſſãt, volutantque, uti viribus & animo nonnun-

nunquã deficiant: alii collũ caputq; in utrumque humerũ in tantum flectunt, moventq;, ut laſſi tandem in terrã concidant: quẽ quidem precandi ritũ Deo in primis gratiſſimum eſſe ſibi perſuadent. Nam non ſolum corde & ſpiritu, ſed & toto corpore, totiſq; viribus divinum numen laudandum, & colendum autumant. Nonnulli tanta feſtinatione (qua inter ſe certant) & clamore *La Illah, Illa Allah*, repetũt, ut verba illa proferre amplius nequeuntes, vociferatio nem verbo *Hou* terminent; quod quoties proferunt (Dei enim nomen denotat) corpus inclinant, & manus ad terrã demittunt, rurſumq; ſe elevant, ac frontem tangunt: atque hunc clamorem in tantũ protrahunt, ut nimio quandoq; clamore feſſi, ſpumam alii ex ore emittãt, alii ob vim ſibi clamorib⁹ illatã faciem nigreſcant, & velut ſemimortui in terrã labãtur. His corporis afflictionib⁹ Deũ maximè placari putant: imo quo majorẽ ſibi quis vim inferat, eo ſe gratiorem Deo fore arbitratur. Id quoque ſibi perſuaſũ habent, negligenter orantium defectus & errores repetitione hac plurima corrigi & ſuppleri. Fœminæ plerumq; Precum tempore ad Templa nõ admittuntur, nobilioribus exceptis, quæ & ipſæ raro accedũt, habentq; locum à conſpectu virorũ ſeparatũ. Eas

vero

vero adeo negligunt & vilipendunt, ut nedum Templo, ſed & Paradiſo (ut ſupra diximus) excludant: una namque cum Chriſtianis ante fores Cœli ſeu Paradiſi eminus Beatorum gloriam eas ſolum inſpecturas nugantur. Præter publicam Seriphorum precationem, conciones publicas aut nullas, aut raras ad populum habent. Cum novus Baſſa aut Saniaccus inito Magiſtratu primo ſolemniter Templum adit, poſt publicas peractas preces, populo concionaturus aliquis Seriphorum ſuggeſtum conſcendit, & concionem ſtricto ad terrorem acinace auſpicatur; auditores admonet, ut Mahometææ Legis memores illius mandata exequantur, ſeſe ejus defenſores alacres exhibeant, armiſque Fidem tueantur, & propagent. Hujuſmodi & diebus Veneris, cum *Ramadam* (quod annuum illis eſt Iejunium) celebrant, populo proponunt.

CAPVT

CAPVT VI.

Ramadam ſive Iejunium menſtruum, quotannis apud Turcas aliosque Mahometæos celebrari ſolitum. Feſta annua, & ſuperſtitioſæ Turcarum obſervationes circa Lunæ incrementum & decrementum.

RAmadam, vel Ramadan, ſeu Ramaſan, Turcarum Iejunium, noſtro fere Iejunio Quadrageſimali reſpondens, ſingulis annis per integrum menſem, ſed non eundem obſervant; qui viginti novem aut triginta diebus conſtat: ſunt enim Turcarum menſes lunares omnes; Quo tempore à crepuſculo ad ſolis uſque occaſum, donec ſidera conſpiciantur, vel certa nox advenerit, nihil cibi potuſve guſtant. Si autem Iejunium hoc anno menſe Decembri incidat, anno ſequenti menſe Novembri id celebrabunt: ſic ſequenti ſerie pergunt. Annum ſiquidem ex majorum traditione conſtare diebus 354. docent, quot nempe dies conſtituunt menſtrua ſpatia duodecim: unde menſes illis ſunt errones, & incertis ſedibus vagantes:

gantes: quos tamen ſua ratione conſtituunt & revocant ad Solis & Lunæ ſtatos circuitus, anno interim Lunari utentes ſuo poſtea modo accommodant eũ ad ſolis converſionẽ. Anni principiũ referunt ad menſem *Silchidſe* nomine, ſecundus menſis illis eſt *Mucharem*, tertius *Sepher*, quartus *Rebuil euel*, quintus *Rebuil acher*, ſextus *Dſciumaſiel*, Septimus *Dſiumaſiel acher*, octavus *Rezeb*, nonus *Scaban*, decimus *Ramadan*, undecimus *Schevval*, duodecimus *Silcade*. Hoc autem Iejunii tempore flagrantius omnes precibus incumbũt, & prolixius orant: eleëmoſynas etiam largius erogant: orationem namque & eleemoſynam alas eſſe Iejunii, nec ſine his gratũ eſſe Deo jejunium arbitrantur. Si qui tamen tenuioris fortunę homines non habeant unde aliis eleemoſynas largiri queant, hos ſatisfacere, ac Deum placare, ſuæque ſaluti conſulere putant, ſi tempus, quod habent ab occupationibus vacuum, in viis publicis ſternendis conſumant, vel lignum, lapides, arenã, ad explendos hiatus hominibus vel equis periculoſos comportent, vel fontibus effodiendis, vel fontanis aquis, ad ciſternas, vel cellulas viis publicis vicinas, deferendis dent operam; qui autẽ negligentius hac in re ſe geſſerit, vel quadrageſimam integram non jejunaverit,

verit, paradiſo nunquam potiturum, quin potius diabolum, quem *Seitam* vocant, rectà eum delaturum ad inferos ſibi certo perſuaſum habent. Ne vero fraus aliqua fiat vel Iejunio, vel Orationi, ſed in officio contineantur omnes; Cenſores publici conſtituti ſunt, qui in tranſgreſſores animadvertunt, honeſtiores pecuniaria pœna multantes, humiliores corporis pœna affligentes. Licet autẽ interdiu à cibis abſtineant, nocte tamen quibuslibet liberaliter veſcuntur, & indulgent genio: imo integras quandoq; noctes crapulis conſumunt, tabernis ubiq; patentibus. Ingens ibi hominũ concurſus, ſtrepitus, ſuſurri, clamores infiniti. Hi cantilenas concinũt, illi tympana cytharasve pulſant, alii venuſtis pueris adhibitis turpibus, impudicisque confabulationibus, & contactibus tempus terunt, ſuaq; Zerbeta largiter potant: quicquid enim pleriq; laboribus lucrati ſunt, hoc totũ ferè tũ diſſipant, dilapidant, & diſperdunt turpiter; ita ut non jejuniũ ad purgandã animã, & placandũ Deum ſed verius artificiũ quoddã ad ſaturandum corpus, & explendã libidinem, imo potius ad ſacrificandum Baccho & Veneri dicendũ ſit. Vltimo Iejunii hebdomadario feſto circa meridiem, prolixa à Santono fit Precatio; mox etiã à cæteris,

legiturque demum ex Alcorano caput, cui titulus eſt *Almeide*, hoc eſt Cœnæ. Interim ſibi mutuo manus faciemque exoſculantur, fælix fauſtumque Paſcha precantur, dicentes *Baaram*, hoc eſt, veniat vel ſit tibi bonum Paſcha. Si quis alterum offenderit, veniam ab offenſo poſtulat, ac mutuas injurias ignoſcunt: id enim ſi negligant, Paſcha Deo haud gratum fore arbitrãtur. Finito jejunio, ſuum *Vlubaaram* ſive Magnum Feſtum, inſtar Paſchatis noſtri per triduum celebrant. Primo die (ut ſupra retulimus) ab omni opere vacant, cæteris non itẽ. Iis vero diebus ex antiqua conſuetudine paterfamilias etiam pauperrimus vervecem mactat, epulatur, indulgetque genio cum domeſticis. Hunc ſacrificii loco mactatum prodeſſe animarũ ſaluti putant, imo eos ipſos verveces omnes etiam Paradiſi gloriæ participes quandoque futuros, ac pro dominis ſuis, qui eos in ſacrificium obtulerint, in extremi Iudicii die precaturos Deũ, ſtolidè exiſtimant. Sexageſimo à Baraam die alterum obſervant feſtum quod *Chutſi baaram*, id eſt, Minus, vel Parvum Feſtum, vel *Chairbaaram*, hoc eſt Religioſorum Feſtum, nuncupant. Eo namque tempore plurimi vel voti rei, vel religionis ergo Mecham ad Mahometis ſepulchrum peregrinantur,

veniam

veniam peccatorum ſuorum illic impetraturi: atque hi ſoli feſtum illud per triduum obſervant, cęteri nequaquam, cum ad ejus obſervationem minimè teneantur. Omnes interim manuū laboribus incumbunt, tabernas officinaſque ſuas aperiunt, & negotiationes exercent. Genizari vero ludicra populo exhibent. ſub porticibus quippe Chanorū ſive Caravanſarajorum pueros amictos ſplendidè funibus inſidentes, & in aëre libratos ſubvectant; libaque *Cachas* appellata ad ſummos fornices appendunt, auferenti præmium conſtituunt: à tranſeuntibus interim Chriſtianis munus expoſcunt, vel ab invitis exigunt. Liba hæc annulari forma ex farina frumentacea mixta ovis, croco illita, ſeſami aut coriandri ſemine ſuperſtrato conſtant. Cæterum multiplices apud omnes ſuperſtitiones deprehendas. Somniis autem in primis multum tribuunt. Creſcentem & decreſcentem Lunam obſervant: Creſcentem ſalutant, & adorant: Turcæ præſertim, qui in incremento fæliciſſimum quoddam omen ponunt; eamq; pro ſigno militari habent, veluti fatali quadam lege ſuo Imperio propitiam. Hinc creſcente Luna omnia ſua negotia (quæ quidem alicujus ſunt momenti) auſpicantur, exiſtimantes, maxima-

rum eſſe virium in adjuvandis conatuũ ſuorum ſucceſſibus: decreſcentem vero infortunia & triſtia omnia portendere. Vnde cum in itinere ſunt, ſubſiſtunt; nec niſi nova apparente Luna progrediuntur: & ita curſu ejus & decurſu ſe ſuaque regunt omnia. Atque de Mahomethæorũ ſacris, Ritibus, Ceremoniis, Templis, ſuperſtitionibus hactenus ſatis. Reſtat ut de eorum Eccleſiaſticis viris aliquid dicamus.

CAPVT VII.

De variis Mahometææ Legis Eccleſiaſticis viris; eorum muneribus, conditione, & vitæ genere.

HAbent quoque ſuos Eccleſiaſticæ dignitatis viros diverſis muneribus & ordinibus diſtinctos. Alii enim jus dicunt, alii legem interpretantur, alii delubris præſunt ſerviuntque, ac ſacra exercent, alii mendicantes, paupertatem, quaſi abdicato Mundo, profitentur. Auctoritate autem & dignitate plurimũ inter ſe differunt, atq; alter altero dignior habetur. Supremum dignitatis gradum obtinet Muphtis, vel Mophtis,

Mophtis, aut Mophti. Is enim reliquorum eſt Princeps, & veluti Catholicorum Summus Pontifex, ſacrorum Rex, ac ſummus Iuris Mahometæi Iudex: qui ut in alios ſui ordinis ſummam poteſtatem habet, ſic Eccleſiaſtica ſolus gubernat: quibus nec Imperator ipſe, nec Supremi Vizires, nec Baſſæ cæteri ſe immiſcent. Hujus præcipuum munus eſt ut perpetuo obſervet ne quicquam in conſilio Principis contra Mahometis legem, aut in Mahomethææ religionis præjudicium à Supremis illis Viziribus ſtatuatur: qui licet omnes vel ſinguli pro Imperatoris arbitratu ad tẽpus moveri, vel excludi à cõſilio poſſũt, Muphtis tamẽ nunquã excluditur, nunquam ab ingreſſu arcetur; ea ratione, quod ſemper invigilare debeat, tanquam ſupremus ſuperintendens, & Mahometææ Legis Pontifex Maximus, ut ea perpetuo ſarta tecta cuſtodiatur: quam alioqui politici homines ex induſtria nunquam, ex negligentia tamẽ aliquando fortaſſe perfringerent, dum ad humana & civilia commoda nimis acriter mentis oculos intendunt; niſi aſſiſtens iſtiuſmodi graviſſimus Pontifex eos errantes in viam revocaret, & doctrinæ Mahometis ſubinde commonefaceret. Hanc ob cauſam prædictis Veziribus (qui numero quatuor intimi

& ſupremi Imperatoris Conſiliarii ſunt) quaſi quintus extraordinarius perpetuo adjungitur: ejuſque tanta eſt auctoritas, ut quamvis ſive in Caſtris, ſive in Curia, Lex à Principe, ſuprema ſententia omnes comprehendente ſubditos, feratur, nunquam deinceps revocanda; eadem tamen ſtatim irrita ſit, & nulla, ſi ab hoc Pontifice pronuncietur Alcorano, & Legibus Mahometis contraria. In aliis autem quæſtionibus de lege Mahometæa, & difficillimis, & maxime obſcuris, ſolus exemplo Pontificis ſummi, & veteris, & novæ Legis, ſeu Hebraicæ, & Chriſtianæ, controverſias omnes determinat, ſupremū iis finem imponens, omni prorſus ſublata & appellatione, & cavillatione. Huic uni propter ſummam in rebus Eccleſiaſticis dignitatem, & quod Mahometis perſonam in hoc religionis officio gerat, Imperator ipſe eum honorem exhibet, quem nulli mortalium defert, ut quotieſcunq; eum accedat hic Pontifex, Princeps è ſolio ſuo exſurgat, admotaque pectori manu, & demiſſo in terram capite, eum veneretur. Præterea hic Pontifex in omnes Legis Mahometææ tranſgreſſores pœnas ſtatuit, edicta promulgat, ceteriſque Magiſtratibus exequenda mandat. Muphti ſuccedunt Cadileſcheri, id eſt, Iudices ſupre-

premi, alias Cadiaſcheri, id eſt, Iudices exercitus, numero tres, provectæ ætatis homines, & Legis Mahometææ peritiſſimi: qui, ne Muphtis cauſarum multitudine diſtrahatur, eoque facilius in hoc ſuo munere labatur, ei coadjutores & aſſeſſores ſunt dati, & ex ſuo munere peramplos annuatim percipiunt redditus: quorum primus miniſtrorum omnium in Romania vel Europa, alter eorum, qui in Natolia, vel Aſia Minori, tertius eorum, qui ſub Sultanico Imperio ſunt, generalis eſt ſpeculator, & ſupremus ſuperintendens. Hunc Selymus ſecundus ejus nominis Imperator poſt devictos Mamelúchos prioribus adjunxit: qui licet ordine poſtremus ſit, dignitate tamen & auctoritate præſtat cæteris, par Caliphæ Babylonio. Vna omnes tanquam præcipui & primarii Mahometææ Legis interpretes, & Doctores eximii, Catholicorum Patriarchis reſpondent, & in Cadios, Seriphos, Santones, Choggios, Taliſmannos, Derviſioſque imperium (ut diximus) habent, eoſque quoad Eccleſiaſtica monent, dirigunt, corrigunt, & omnino quæ ſunt in ſacris agenda præſcribunt. Vt hinc facilè quis videat etiam apud Turcas præcipuam haberi religionis curam, politicasq; rationes ſic moderari, ut nequa-

quam religioni adverſentur, ſed cum Alcorani Legibus conſpirent, Eccleſiaſticorumque examini ſubjaceant. Cadileſqueri præterea Cadiorum officia ſeu munia ſuo arbitratu conferunt: ſed ab ipſis conſtituti ab Imperatore mox confirmantur. In hos item, ſi munus negligenter aut indebitè adminiſtrent, vel alicujus criminis rei inveniantur, ſeverè admodū inquirunt, & animadvertunt acriter, eandemque auctoritatem ferè in omnes magiſtratus exercent, quam apud Venetos Syndici. Hos Cadii adeo extimeſcunt, ut quando provincias inquiſitionis ergo peragrare eos ſciant, ſi ſceleris alicujus conſcii ſibi fuerint, ac placare poſſe muneribus hominum ſeveritatem deſperent, eorum adventum non exſpectent; ſed publicum dedecus & ignominiam veriti, fuga ſaluti ſuæ conſulant, & in aliis provinciis ſeſe abdant. Nam quos culpæ reos inveniunt, non ſolum exauctorant, ſed & flagris (ac ſi vilis eſſent conditionis homines) acerbe admodum cædi jubent. Si crimen eſt enormius, vel gladio, aut laqueo eos neci dant, vel ignibus comburendos tradunt. Muneribus tamen (auri cupiditate pellecti) corrumpi ſe ſępenumero ſinunt. Cadileſqueros ſequuntur Cadii, poteſtate Epiſcopis noſtris aſſimi-

milandi. Iudices hi ſunt ordinarii, qui de divortiis, cæteriſque civilibus cauſis in aliqua urbe vel oppido cognoſcunt, in eos qui blaſphemi ſunt, qui vinum bibunt, qui Templum Precationis tempore non frequentant, nec Quadrageſimam obſervant, vel ſimile quidpiam contra conſuetum religionis uſum committunt, atque in legem peccant, animadvertunt. Nobilioribus vel ditioribus mulctam pecuniariam imponunt, humiliores flagris affici jubent: ſi tamen hos etiam aliquid in bonis habere ſubodorent, quo corpus redimant, pecunia mulctandos cenſent. Chriſtianos quoque & Iudæos, ſi quid criminis commiſerint, puniunt acerrimè, etiam capitali pœna, ſi cum Mahometana quapiam rem habuerint, vel Mahometęæ Legi maledixerint, vel cũ Mahometæo contra Prophetæ ſui Legem diſputaverint, eumve Chriſtianam fidem docere præſumpſerint, vel Muſſulmannum deteſtati fuerint. Maximũ ſiquidem ſcelus exiſtimant ſi quis Chriſtianorum Muſſulmanno maledicat. Muſſulmannos autem vel Muslimonos ſe vocari volunt Mahometæi, aventque maximè ſalutari ſe hoc nomine, cum id rectè credentes & orthodoxos ſonet; alienę namque legis cultores cũ infideles reputent, ſe ſolos tali no-

nomine dignos arbitrantur. Cæterum in controverſiis civilibus dijudicandis, Veteris Teſtamenti leges ut plurimum ſequuntur. In exercendis vero litibus quæ fermè incidunt ob matrimonia & divortia, unusquiſque ſuam propriam agit cauſam, ſibi quiſque defenſor, non alius: nullus ibi advocatus, nullus procurator, nullus ſollicitator: verum utraque pars judicem adit. Is momento temporis rem tranſigit, litemque decidit. Si quis probare quid habeat, ſcripto, vel teſtibus, vel juramento probat, juratque hic ſuper Euangelium, ille ſuper Talmud, alter ſuper Alcoranum. Nullæ præterea dilationes, nulla juris ſubterfugia, ſed ſummaria omnia judicia. Nec enim ſciunt quid ſit Sententia interlocutoria, quid Appellatio, quid Reviſio. Vbique eſt ſententia definitiva: & fermè lis ſopita eſt, antequam conteſtata. Succedunt Cadiis Santoni, vel Hoggii & Taliſmanni: illi Presbyteris, hi Diaconis Catholicorum aſſimilandi. Templis namque inſerviunt, ſacra peragunt, ad Preces horarias populum convocant, Precibus vacant, concionãtur, ſed rarius, Hymnos, Cantica, Pſalmosque ſacros in Meſſitis concinunt; Scribarum præterea ſeu Notariorum munere funguntur. Nulla tamen illis circa curam animarum occupatio,

cupatio, neque ullis in ſcripturis ſacris, aut etiam in humaniore literatura eruditiores ut evadant, curant quicquam: ſed ſatis ſibi eſſe putant ſi Alcoranum legere, & ſecundum literam interpretari queant; quoniam non vulgari, ſed veteri Arabica lingua à Mahomete eſt traditus; & nefas exiſtimant, ſi vulgari lingua interpretatus deſcriberetur. Eliguntur Sacerdotes à populo, ſtipendium autem accipiunt è publico. Vxori, liberis, & familiæ dant operã: quod ſi ſtipendium nõ ſufficiat propter multitudinem fortè liberorum, agriculturam exercent, jumenta curant, mercantur, uſuram capiunt, vel mechanicis artibus inſudant, quibus victum ſibi ſuisque procurant. Ex his nonnulli Mauris Seriphi Nobiles, Turcis Emiri, vel Seithi dicuntur, & viridibus Thulipantis à cæteris diſtincti, in ſumma apud omnes veneratione habentur, eo præſertim intuitu quod à Mahometis ſtirpe progeniti, vel ab Ali Propheta originem ducere communi opinione dicantur. Præter hos, & eos, qui Mahometis ſepulchrum viſitarunt, Thulipanto vel veſtitu ullo viridi uti licet nemini: piaculum quippe ingens putant viride quempiam adhibere capiti tegumentum, aut viridi indui veſte, qui genus ſuum ad Mahomedem vel Alim non referat,

ferat, vel Mahometis ſepulchrum non adierit. Hinc etiam Chriſtianis & Hebræis, calceis, manicis, tibialibus, aliiſve interioribus veſtibus viridibus indui, lege vetitum eſt, pœna conſtituta in eos qui contra faciunt. Ad hæc ſacerdotes omnes, cujuſcunq; ſint ordinis, propter officium, & quod cœleſtia & Divina tractent, à ſervitute liberi ſunt, & ab omnibus exactionibus, tributis, & aliis oneribus immunes, nec pendēt teruncium, cum tamen reliqui omnes Imperatoris ſubditi, cujuſcunq; demū conditionis ſint, vectigalia fiſco ſolvāt, ac cęteris exactionibus & oneribus ſint obnoxii. Neque ſolum Seriphi in maximo apud omnes ſunt pretio, ſed & cæteri Eccleſiaſtici plurimum à reliquo populo honorantur: putant enim Mahometæi ad legis & religionis ſuæ honorem & laudem vel maximè pertinere, ſi Sacerdotes honore afficiantur, quē quidem honorem & legis providentia, & Imperatoris voluntas, ac populi pietas Sacerdotibus tribuendum duxit, & longo uſu confirmavit, nec immerito: Nam ſacerdotum ſplendor & exiſtimatio ſine dubio ad ipſius religionis gloriam redundat, nec fieri poteſt quin religio illa ſordeat & negligatur, cujus miniſtros populus contemnit, & deſpicit, neq; ulla veneratione proſequitur.

CAPVT

CAPVT VIII.

Agonizantium Mahometæorum ſtatus & conditio, eorum teſtamenta. Mira quædam ſomnia de animarum ſtatu in diem uſque judicii. Mos item ſepeliendi mortuos. Eorum cœmeteria. Vulgarium ſepulchrorum formæ & primatum monumenta; itemq; parentalia. Necnon Chriſtianorum & Hebræorum cœmeteria & ſepulchra.

PRiuſquam modum ſepeliendi mortuos Mahometanis uſitatum, eorumque cœmeteria & ſepulchra deſcribamus, operæpretium duximus, nonnulla quæ ægrotantes dum ſe è vivorum contubernio migraturos arbitrantur curare ſummoperè ſolent, quidque de defunctorum ſtatu ante Iudicii extremi diem ſentiant, commemorare. Superius retulimus, Mahometæos omnes luſtrationibus, eleemoſynis, jejunioque plurimum tribuere, iiſque peccata, quantumvis enormia, purgari poſſe exiſtimare;

atta-

attamen ſi quid vi ablatum ſit, aut alteri debeatur, id etiam reſtituendum, & ſolvendum, ſi non verè, ſaltem apparenter, exiſtimant. Hinc vicina laborantes morte in primis operam dant, ſyngraphum ſolutionis à creditoribus ut nanciſcantur, etiamſi veram ſolutionem non præſtiterint, reſtituerintve ablata, eoque velut præſtitæ ſolutionis teſtimonio capiti agonizantis ſuppoſito, ſatis factum debito putant: quinimo etſi quandoque morientium amici aut familiares ſyngrapha hujuſmodi à creditoribus vi etiam & metu extorqueant, crimini hoc ſibi à Deo nequaquam verti, ſed perinde prodeſſe defuncto, ac ſi verè ſatis feciſſet, putant. Si quas vero furto, latrociniis, aliisve malis artibus divitias ſibi conflaverint, & neſciant quibus reddi debeant, tum pecuniæ ſummam aliquam Xenodochiis legant, vel balneum publicum erigi, aut Meſſitam certo numero lampadum illuſtrari, Santonisve annuam eleëmoſynam elargiri, aliave pietatis opera (de quibus in præcedenti capite egimus) pro ſe fieri teſtamento ſtatuunt, quod à Santonis Seriphisve plerumque conſcribi ſolet. Quia vero per fas & nefas ut plurimum opes cumulant, majorem idcirco bonorum partem Meſitis & Xenodochiis legandam,
vel

vel in uſus prędictos convertendam ſatagunt, reſiduo hæredibus relicto; hac lege, ut uxorum inprimis dotes, ſervorum mercedes ac cętera debita ſolvant, ſuisque ſatisfaciant creditoribus. Neque tamen hæreditatem ſtatim à morte teſtatoris adire hæredibus liberum eſt; ſed eam à jure Imperatoris redimere, & à magiſtratibus enundinari neceſſe habent, niſi defunctus ex eorum numero ſit, qui libertate gaudeat, quique privilegio Imperatoris liberè de bonis ſuis ſtatuere poſſit. Teſtamento confecto, ubi ſupremum ſpiritum ægrotum ducere animadvertunt, Santonum advocant. Is Alcoranum ei imponit, atque ex eo Caput quoddam *Chaberet elizi* nomine, id eſt, Tractatum IeſuChriſti ſepties legit: id enim animam agenti viatici loco fore, ac facere ad certam ſalutem, credunt, quam tamen non ſtatim defunctos conſequi, ſed (ita dictante eorum Zuna) in ſepulchro quemque ſuo in diem uſque Iudicii manere, ibique, prout in vita hac mortali ſe geſſerit, vixeritque, vel ab Angelis conſolari, vel pœnis affligi. Mox enim atque ſepulchro quis conditur, ad tumulum defuncti accedere Angelos duos piceos, *Mungir & Quarequir* dictos; horum alterū clavam ferream, alterum uncum tenere, eoſque jubere

M. ca-

cadaveri ut elevato capite in genua ſe erigat, induatq; animam; quam ut induit, ab utroque Angelo interrogari, num Mahometis legem obſervaverit. Quod ſi bonā anteactę vitæ reddat rationem, hos diſcedere, ac duos alios inſtar nivis candidos eam accedere. Hos ſeſe cuſtodes ac ſocios defūcto adhibere, aſſiſtere & ſublevare jugiter in diem uſq; Iudicii. Sin malam, remanere nigros, & hūc clava ferrea defuncti caput tantis virib⁹ contundere, ut unico ictu ulnis quaſi ſeptem corpus defuncti in terram adigat; mox illum pari impetu unco ferreo defuncto vulnus infligere, eumq; è terra eruere: atque hoc horrendo ſupplicio continuo miſerū uſq; ad extremum Iudicii diem torquere. Hinc vero linteola, quibus cadavera involvunt, ab imo & ſupremo (ut ad Angelorum imperium caput tollere, & in genua ſeſe erigere facilius poſſint) non conſuunt. Ne tamen hujuſmodi pœnis reddantur obnoxii, valentes profundunt vota & preces indies, his verbis: *Libera nos Deus ab Angelo interrogante, à tormento ſepulchri, & à via mala.* Cadavera priuſquam ad ſepulturam efferantur lavari proximiores conſanguinei quam diligenter curant, aromatibus inſuper; atq; aquis odoriferis ungunt, odorantque, ne fœtore cubicula infician-

ciantur. non enim capulis (ut apud nos moris eſt) includunt: ſed feretris Italorum more imponunt: mox Thulipãtum capiti addunt, & melioribus veſtibus induunt, ornantque floribus, atque ita omnibus conſpicua efferunt. Præeunt viri frequentes, & primo ceroferarii cum candelis, monachi illorum, dein Sacerdotes, poſtremo conſanguinei, non bini uti noſtrates ſolent, ſed confuſim, Pæana canentes ſuum, *la illah illa allah.* Feretrum poſt hos quatuor aut ſex ad ſummum geſtant bajuli. Subſequuntur fœminæ, Mahometæo ejulantes ritu, voce ſtridula, lugubrique. Ad ſepulchrum ut ventum eſt, conſiſtunt, lapidem removent, foſſam effodiunt, corpus veſtibus ſpoliant, rurſum goſſypino linteo aut ſindone illud involvunt, ac tegunt: atque ita facie ad cœlum verſa, brachiis, manibuſque extenſis, ac lateri admotis, non in crucis modum complicatis, neque pectori impoſitis, ut apud Italos moris eſt, ſepulchro impoſitum terra operiunt. Interim dum hæc ſedulo curantur, conſanguinei, ceterique, qui proximi ad feretrum adſtant, ſuum *la illah* concinunt; idque in tantum protrahunt, donec omnia quæ ad funus pertinent, ritè peracta ſint. Sæpius etiam amici cum luctu ad monumentum redeunt, & pro

defuncti anima eleëmoſynas pauperibus diſtribuunt. Solent quoque plerique religioſis in funere prodeuntibus plena manu eleemoſynas impertiri: quod ſi defunctus pauper fuerit, nec habeat unde religioſis funus comitantibus ſatisfiat, plateatim collectæ pecuniæ in eleëmoſynam illis elargiuntur. Cœmeteria juxta vias publicas pleraque poſita ſunt, ut tranſeuntes ſe mortales reminiſcantur; Deumque pro ſalute defunctorum precentur; extra urbes tamen & oppida: in urbibus oppidiſve conſpicias nulla; cum id lege vetitum ſit, ne cadaverum fœtoribus urbes inficiantur. Eademque de cauſa etiam remotius ab urbe pecora ſua mactant, excoriant, & exenterant. Qua in re veterum Romanorum ſecuti ſunt morem; qui ne in urbe ſepelirentur aut cremarentur demortuorum cadavera, legibus ſtatuêre: quemadmodum id etiam lege Duodecim Tabularum ſancitum conſtat: cujus verba ſunt: *In urbe ne ſepelito, neve vrito*: Cum tamen ante id tempus in domibus, quas ſinguli incolebant, doliis, aut vaſculis cadavera, aut demortuorum cineres conderentur: unde Lares (quos domeſticos vocitabant Deos) colere antiqui cœpere. Neque Romanis tantum, ſed Hebræis quoque olim uſitatum fuit ſuos extra

op-

oppida ſepelire mortuos, ut in viduæ Naimitanæ filio unico à Chriſto reſuſcitato videre eſt: idque è Legis Moſaicæ zelo: vetuit enim Lex, ne quis ſe cōtactu cadaveris coinquinet: in quam quo minus quis impingeret, voluit Synagoga ſepulturas longius abeſſe. Solis autē melioris notæ Santonis, aut principibus viris, ſuis impenſis Mauſolea & ſepulchra intra urbis mœnia habere permiſſum eſt: quod item ab antiquis Romanis accepiſſe videntur. Sunt autem Turcarum cœmeteria ampla, ac latè patentia: plebeiorum plerique ſub dio tumuli unius ferè viſuntur formæ, lapidei omnes, ac tres, quatuorve, ad ſummum quinque pedes longi, inſtar cunarum, ſuperficie plana, canaliculam in medio continentes, quam terra implent, floribuſque, aut herbis odoriferis exornant. Extrema ſepulchri latera ſupra mediam ſuperficiem quaſi ſeſquipedem eminent, in frontiſpiciis demortuorum nominibus ac die obitus, Arabicis literis inſculptis. Inter vulgaria hæc ſepulchra quibuſdam in locis Circaſſorum veterum, ac primatū Mauſolea conſpicias plurima, non pyramidalem, ſed ſphæricam ſeu Meſſitarum formam referentia: aliqua etiam Chriſtianorum monaſteriis, neque minora, nec ſtructuræ magnificentia or-

natuque inferiora, Meſſitam, porticũ, clauſtra, ambulatoria, variaque cubicula continentia, in quibus ditiores, Taliſmannos ſuis ſumptibus alunt: qui ſacra inibi in demortuorum memoriã peragunt, Preceſque, ac Pſalmos, humi divaricatis ſedentes cruribus, quotidie ad certum numerum pro anima fundatoris juxta ejus ſepulchrum obmurmurant. Id ex marmore, quadratæ tumbæ inſtar, panno viridi coopertum, cui à capite defuncti Thulipantum è lino ſubtiliſſimo contortum ſpiris candidiſſimis, quo vivus uti conſueverat, itemque ornamenta equeſtria, galea præſertim, & acinacis ſuperpoſita ſunt. Santoni vero, cum nefas eſſe putent in Templis quemquam ſepelire, non in ſuæ curæ commiſſis Meſſitis, ſed juxta eas ſua ſepulchra habent: quæ muro, cancellis ferreis impoſitis, prętereuntium conſpectui patent. Marmorea hæc, vel lapidea ſunt pleraque, oblonga, ad quadratam tamen formam accedentia; ſuperficie plana, duobus, tribuſve circumſepta gradibus, canaliculas in medio exciſas, ad modũ vulgarium tumulorum, licet latiores, continentia: quas terra pariter impletas floribus atque herbis odoriferis ornant. Alii Palmis, vel Oleis ſepulchra circumſepiunt; quarum veſci fructibus

ob demortui reverentiam religioni habent. Illud vero in primis mirandum, quod nullo ferè mortis timore ducantur, neque etiam à peſtifera contagione ſibi præcaveant. Si cauſam ſciſciteris, Divinæ vindictæ morem eſſe gerendũ, nec ejus voluntati renitendum, neminemq; mortem poſſe effugere, nec niſi deſtinato evenire ajunt: ideoque fruſtra vitari loca peſte infeſta putant; irridentq; Chriſtianos, qui tanquam divinæ ordinationi reſiſtẽtes luem peſtiferam fugiendo declinare ſe poſſe autumant. Cæterũ fœminæ ſingulis diebus Iovis (qui Mahometæis profeſtus hebdomadarius eſt) frequentiſſimo cõcurſu ad ſuorũ coſanguineorũ ſepulchra, Preces, Sacraq; pro ritu Mahometęo ibidem dicturæ, conveniunt, eaque ramis frondẽtibus, & herbis odoratis, in aquã frigidã intinctis, adſpergunt; hærentq; ibi à prima uſq; in ſerã lucẽ, pane, caſeo, carnibus, aliiſq; obſoniis, quibus naturæ neceſſitati eo die ſatisfaciant, ſecum allatis, miſcẽtes hoc modo cũ ſupplicationibus & parentalia. Chriſtiani itẽq; Hebręi extra urbes & oppida ſua quoq; peculiaria cœmeteria habẽt; ſed à Mahometæorũ longe remota: quæ ſaxorũ forma, ſepulchris impoſita, eorũq; inſcriptione internoſcuntur. Chriſtianorum namque ſepulchra, maximè Occi-

dentalium, ſaxa habent oblonga, & quadrangula, longitudinis pedũ quinque aut circiter, nominis defuncti inſcriptionem, atque diem obitus Latinis verbis continentia. Hebræorum quadrata, & minora, ac Hebraicis characteribus inſignita. Neque hæc cœmeteria gratis Chriſtianis & Hebræis concedi quis putet: ſed vectigal inde ſolvendum Imperatori noverit. Vbicunque enim ſive Chriſtianum, ſive Hebræum mori, ac ſepulchro condi contingat, pro cujuſque conditione tributum penſitare coguntur omnes. Orientales Chriſtiani, itemque Hebræi groſſos aliquot pro jure ſepulturæ exſolvunt. Occidentales vel Europæi majus tributum dependunt. Si conſul vita functus fuerit, quadraginta quinque cechinos, ſi mercator, ſex, reliqui tres. Soli vero Mahometæi ab hoc tributo immunes ſunt.

CAPVT IX.

Varia quædam circa Syriæ indigenarum mores, & conditionem tam Mahometæorum, quàm Chriſtianorum.

SYriæ indigenæ vel Mahometæi, vel Chriſtiani, vel Hebræi ſunt. Mahometæi in Turcas & Mauros diſtinguuntur. Turcæ ut plurimum divites ſunt, & opibus præſtant cæteris. Horum alii negociationibus incumbunt, alii Mahometææ Legis ſtudiis addicti, vel Meſſitis ſerviũt, vel magiſtratus obeunt: alii vel ampla, ut Genizari, Spahi, vel Timariotæ, ab Imperatore merent ſtipendia, vel nobilium, ſeu primatum dignitate gaudentes, Begi titulo clarent. Mauri contra numero præſtantes (nam qui ruri degunt, oppidaque & pagos incolunt, fere omnes Mauri ſunt) mechanicis plerique artibus dediti (quarum omniũ opifices aſſequuntur egregios) manuum laboribus vivunt. Homines etenim induſtrii, laboris minimè pertæſi, atque inediæ patientes, ſudorem ocio potiorem ducunt. Plurimi tamen vel mercaturam, vel agriculturam exercent, vel Meſſitis inſerviunt. Reliqui

vel Imperatori militant, vel ſervilibus operibus ſibi victum quæritant, vel ſtipe emendicanda vitam tranſigunt. Ad unum vero omnes imbelles, effœminati, inermes, molles, ac timidi vitam agunt inglorii, & Turcicum jugum, inviti licet, ferunt. Arma illîs nulla, arcu, ſagittis, & curvo ad latus pugione (quẽ *Cugnaram* vocant) exceptis. Quo vero pugnaciores atque audaciores appareant, dũm iter agunt, pectore & brachio dextro nudi incedunt, induſio veſteq; ad tergum rejectis: quo corporis habitu ſibi mirè applaudunt, ac ſe viros putant, & bellatores egregios. Turcæ vero otioſam plerique agunt vitam, laboris pertæſi, & mechanicarum artium oſores, & rudes; comeſſationibus, otio, luſibus, potationibus, aliiſque rebus frivolis integros dies abſumunt. Nobiliores venationibus ut plurimum dant operã; vel armorũ exercitationibus, equitationibus, haſtarum concurſibus, vel latrunculorum luſibus tempus terunt. Hinc marceſcentes otio, voluptatibus omnifariam immerſi, nihil ferè præter Mercurium & Venerem tractant: quinimo, quo in Venerem ſunt ardentiores, eo ſe Mahometi gratiores eſſe arbitrantur; tantumque Veneri tribuunt, ut etiam in carnis deſideriis, ac comeſſationibus dies feſtos

agi

agi debere exiſtiment. Cæterũ in familiari colloquio, ac mutuis officiis, & quotidiana converſatione ſatis humanos & civiles ſe exhibent: frequentibus namq; honoribus ſe mutuo proſequũtur, & ſalutant ſedulo, ac comiter. Minor majori citò loco cedit, tranſeunti aſſurgit, caput inclinat, non aperit, ſed manu dextra ad pectus applicata, vel capiti impoſita, capite inclinato honorem exhibet. Vulgaris autem Turcarũ ſalutatio hæc eſt *Salam aleck*, id eſt, Salvet te Deus, vel Pax tibi: cui reſpondet alter *Alecieme Salam*, quaſi dicat: Tibi quoque Pax, vel, Reddat ſalutem tibi Deus, qui me ſalvum jubes. Maurorum hæc, *Sabalcheir*, quod nobis eſt, Fœlix ſit tibi dies vel bonum manè: ſubjicit alter *Sanacheir aſia*, hoc eſt, Et dies & annus uterq; ſit tibi fælix, vel, Tibi bona ſanitas. Chriſtianis ſalutẽ non imprecantur: hac enim illos indignos exiſtimãt. Obvio tamẽ, & maximè noto, aut cũ ejus accedunt ædes, *Marchabà*, dicũt; quod nobis eſt Benè venias, ſeu Fauſtè adſis. Cæteroquin Turcæ omnes hoſpitalitate plurimum gaudent, advenas ad capiendũ cibum ſæpenumero liberaliter invitãt: pretium ſi quis exigat, ruſticitatis maximę loco ducũt: cujus rei & nos in itinere ſæpè experimẽtũ fecim⁹: nãad cibi comeſtionẽ & communionẽ frequenter invitati, aſſentientes eis
grati

grati fuimus: renuentes vero deſpecti. In eo quoque laudandi, quod nullus tam durus caſus eis contingit, ut fracti impatiẽtia redigantur in blaſphemias: id quod (proh dolor) apud Chriſtianos nimis commune eſt. Verum quicquid Turcis Mauriſque evenerit, non ſtomachantur, ut plerique apud nos ſolent, ſed illud habent in ore, *Suphan allah*, hoc eſt, Laus Deo. Vulgare Syrorum idioma Arabicum eſt: in urbibus autem oppidiſque primariis etiam Turcico utuntur, maximè Turcæ, primateſque viri, & Milites Genizari: qui & Arabicam quoque callent linguam, quam quidem maximi æſtimant, nec in minori pretio habent, ac nos Latinam: nullumque ferè invenias Turcam, nobilem præſertim & honeſtiorem, qui Arabicum ignoret idioma, etiam extra Syriæ provinciam: quinimo adeo omnibus cordi eſt, ut eo paſſim inſtrui liberos curent, quo doctiores evadant, Legiſque ſui Mahometis incumbere ſtudiis commodius queant. Hac enim lingua ſacra ipſis volumina conſcripta ſunt, hac preces publicæ & privatæ, Pſalmi item, Cantica, hymnique in Meſſitis fiunt. Publicæ idcirco per urbes paſſim ſpectantur Scholæ, ubi pueri Arabicis literis dant operam. In hoc autem toti ſunt, ut à primis annis ad

ad verbum ediſcant Alcoranum, & infigant memoriæ librum, quem non intelligunt. Neque vero ullis in Scholis hic comparet codex, ſed ludimagiſter è memoria depromit penſum, & in tabula lignea deſcribit: id puer reponit in animo, & poſtridie alterum ſcribitur penſum: donec anni aut biennii ſpatio totum ediſcat Alcoranum, ideoque multo plures reperias qui teneāt ſic Alcoranum, quam qui ipſum habeant domi codicem. Poſt hunc ad verbum ediſcunt libellum, in quo præſcriptæ ſunt gentis ceremoniæ: nec tamen eis quippiam declaratur, niſi quantum aſſequuntur commercio ſermonis vernaculi; qui tametſi diſtat multum ab ea ratione quæ conſpicitur in libris, tamē magnum adfert aditum ad percipienda pleraque vocabula. Hinc jam pergunt ad Grammaticam, quæ mille diſtichis compoſita eſt. Hanc verſuum Chiliadem tabulis ſuis commendant memoriæ, & quotidie apud præceptorem penſum reddunt: nam in Scholis nullus comparet codex. In hac Grammatica fermè biennio aut triennio verſantur. Inde ad altiora pergunt aliis in ſcholis. Sunt namque & alii in urbibus Ludi Literarii, quos doctiores, & in Grammatica jam verſati frequentant, in iiſque Mahometis ſui atque Imperii civi-

civilibus Politiciſque Legibus ſtudent, & doctoribus ſcholaſticis inſudant, ut poſtea ad magiſtratus obeundos digniores reddantur. Liberalibus ſtudiis nullā navant operā: neq;enim Philoſophiam, aut Medicinā, vel Matheſim, aliasq;artes liberales quicquā curāt, ſed negligūt prorſus, atq;inutilia ſtudia putāt. Pauci ſaltē Dialecticā, Rhetoricā, & artes reliquas attingunt. Etſi vero invenias aliquos, qui Medicinā calleāt, profiteanturve; quam ex Avicennæ, Hippocratis, & Meſuę libris Arabicè conſcriptis hauriunt, rariſſimi tamē eam exercent, manente interim Medicinæ ſtudio ut plurimum apud Hebræos; qui ubiq; ferè locorum apud Turcas & ſub Turcica ditione eā profitētur, & exercitāt. Hi namq;linguarum peritiæ ſtudioſiores quam Turcæ, Mauriq;, Hebræorum, Græcorum atq;Arabum ſcriptis adjuti, luculentius Medicinæ artem addiſcūt, doctiores & peritiores evadunt cæteris Orientis populis: adeo ut & ipſe Imperator eorū opera in re medica, cæteris poſthabitis, utatur. Verſibus autē componendis utraque lingua & Turcica & Arabica multi cum Turcæ tum Mauri tempus omne impendunt: quibus egregia & præclara ſuorum Imperatorū, ac Ducum, & fortium virorum geſta factaque enarrant, laudeſque ſui Mahome-

metis decantant. Typographos nullos habent, prælaque ignorant. Hinc libri eorum non typis excuſi, ſed à publicis Scribis conſcripti proſtant : ideoque & rariores & cariores habentur. Magni autem laboris eſt hic aut emere codices, quod nullæ ſint tabernæ librariæ, aut hinc iſtas merces avehere; ideoque difficillimum parare ſupellectilem librariam. Ea vero ratione calcographos nullos admittunt, quod pernicioſos & Reipublicæ & Fidei eſſe autumēt: Hinc enim Fidei noſtræ ſchiſmata & hæreſes pullulare ajunt. Scribarum pleriq; ſupra genua ſcribunt, non pennis anſerum, ut nos, ſed calamis, more veterum. Charta vero utuntur non è membranis, aut linteis noſtro more confecta, ſed goſſypina, eaque candidiſſima, & lęvigata, quam ſupra aſſerem complanatam, cote, ſeu dente; aut cōchylio aliquo mirificè poliunt, & nitidam reddunt. Mos hic ſcribendi & chartæ uſus omnibus paſſim Orientis populis communis eſt, Scribis præſertim & Chiecagiis, qui ingens eo munere ſibi lucrum comparant. Chartas autem Occidentalium more haud quaquam complicant, ſed in longum protenſas convolvunt; conſcriptas ad alios uſus non accommodant, ſed religioni habent, & crimini vertunt ſi quis id faxit: putant

enim

enim Dei nomen deſpici ſi fortè in iis deſcriptum fuerit. Plerique ſyngrapho non ſua manu ſubſcribunt, ſed ſigillo æreo (cui nomen cujuſque proprium inſculptum eſt) atramento madefacto id firmant. Sigillis tamen Occidentalium more ullis in literis non utuntur, ſed contenti nudis literis, ſi nomen adſit mittentis, vel ſyngrapha, cætera vana reputant. Cęterum cuncti matrimonium ineunt, & uxorati ſunt, etiam Eccleſiaſtici, exceptis Draviſiis: quibus connubia licet vetita ſint, adulteria tamen, & ſtupra, ac nefanda contra naturam peccata impunè committunt. Neque una contenti, etiam duas, treſve & plures ſibi copulant Mahometæi uxores. Mahometæa ſiquidem Lege quatuor cuique legitimas ſimul ducere uxores permiſſum eſt: Has etiam prout libet dimittere, aliamque in locum miſſæ ſubrogare liberum eſt: ea tamen lege, ut quaternum repudii numerum non excedant. His pellices, & mancipia, quotquot volunt, atque alere poſſunt, adjungunt, quæ illis velut uxores ſecundæ notæ ſunt. Lex enimMahometæa emptas aut bello captas tot habere cuique permittit, quot quis nutrire prævalet: illiſque pro voto uti, & revendere pro arbitratu, modo ſteriles fuerint, haud quaquam gravidas:

vidas: quam enim herus ex ſe gravidam agnoſcit, hæc ſervitutis excuſſo jugo libertatem perpetuam adipiſcitur, neque amplius ſervituti obnoxia reddi, aut revendi, ſed donari tantùm poteſt. Neque ſolum extraneas fœminas, ſed agnatas quoque & affines ducere uxores Alcorani edicto conceditur, quod eâ ratione inſtitutum dicunt, ut genus uniuſcujuſque propagetur, & ex duplici conjunctione amicitia inter eos firmior reddatur, mutuaque benevolentia commodiùs conſervetur. Nec mirum cuique videri debet Mahometæos omnes tantoperè intemperantiæ & rei venereæ eſſe deditos, ac velut bruta pecora ſolam carnis voluptatem, ſolam libidinem ſpectare, cum & ipſum Mahometem eorum Prophetam, effrænis licentiæ hominem, & planè belluinum, ſexdecim aut ſeptem ſupra decem uxores habuiſſe auctores tradant, tredecim ſaltem Chronicon Turcicum ei fuiſſe uxores non diſſimulet, quibus & concubinas plurimas adſciviſſe, atque etiam aliorum uxorum adulterio ſe polluiſſe ſcribunt hiſtorici. Quæ tamen omnia ſua adulteria, ſcortationes, & libidines Deo adſcribere, ac tantæ fœditatis Deum ipſum auctorem conſtituere, ac jactare patronum, non eſt veritus; Deum enim hæc ſibi omnia conceſſiſſe, & ſibi uni decem aliorum prophetarum in coëundo virtutem & fortitudinem tribuiſſe, audaciſſime auſus eſt

gloriari. In contrahendis vero nuptiis non noſtratium more Sponſæ à parentibus dotatæ Sponſis offeruntur, ſed Sponſi, ſive Turcæ, ſive Mauri, dotem Sponſæ conſtituunt, & propemodum à parentibus emunt, quæ quidem conſuetudo apud omnes Orientis Chriſtianos etiam viget, eamque veteribus uſitatam fuiſſe ſacræ produnt Literæ. Nova nupta, pridie quam cũ viro congrediatur, ſolemni pompa numeroſa propinquorum comitante caterva, accenſis præaltis cereis, ad balnea procedit. Poſtero die Sponſus dona Cadio mittit, petitque de dote jam ſoluta dotale ſibi confici Inſtrumentum. Hac veſtes, & ornatus omnis muliebris, cæteraque ad uſum Sponſæ neceſſaria comparantur. Mox Sponſi Sagoſius (nos Paranymphum rectè dixerimus) plurimis comitatus Sponſi convivis, inſtrumentiſque muſicalibus, ædes Sponſæ adequitat, & ſumpto cum ſuis, in ipſo veſtibulo aut impluvio domus, jentaculo, Sponſam evocat, quam à patre ſibi traditam, equo imponit, atque ad ædes Sponſi ducit, egregio apparatu. Præcedunt tibicines, & tympaniſtæ: ſubſequuntur varii generis utenſilia, omnis ſupellex Sponſæ, omniſque ornatus muliebris, equis (qui à Sponſi Sponſæque mancipiis manuducuntur) impoſita. Inter hæc media ſub umbella equitat Sponſa, velata facie, ac tela goſſypina tenuiſſima obvoluta, cujus utrum-

utrumque claudunt latus Sponſæ pediſſequæ, & nutrices plurimæ, pedites omnes, luctuoſo ululatu & voce ſtridula heræ deplorantes virginitatem. Illa interim cuicunque obvio, noto maximè honorem exhibet, capite nonnihil inclinato, quod alias fœminis non licet. Accedens ad limen Sponſi ex equo deponitur: cui obviam Sponſus occurrit, gratulabundus excipit, & ad penetralia introducit; nuptiaſque eo die cum amicis celebrat, fœminis à viris ſeparatim epulantibus. Cœna completa choreas ducunt, & tripudiis terunt tempus. Poſt horas aliquot à Sagoſio ad Sponſi thalamum ducitur, traditurque Eunuchorum cuſtodiæ: mox ab accedente Sponſo develatur: quæ ſi ipſa exuere ſe veſtibus recuſet, aut differat, à Sponſo, ejuſve à cubiculis exuitur, & lecto imponitur. Poſtridie rurſum cum ſuis balnea repetit, minori tamen ac conſanguinearum tantum comitatu; lota denique ad domum mariti læta reducitur. His quidem ceremoniis nobiliores fœminæ nuptias celebrant, cæteræ non item. Id unum ab omnibus obſervatur, ut dotatæ prius ac lotæ maritis tradantur. Quod ſi quandoque Turcarum Maurorumve quiſpiam tædio, vel leviori quavis cauſa, imo nulla, ex primariis aliquam ſibi amplius habere uxorem nolit, ſoluta vel parentibus uxoris, vel ipſi uxori dote; Ca-

dii accedente auctoritate , demittere eam , atque aliam ducere pro arbitratu poteſt. Fit enim ſine ullâ culpâ divortiũ, modò dotem certam initio pactam maritus dimiſſæ conjugi perſolvat; conceſsâ interim dimiſſæ alteri nubendi facultate. Neque ſemel tantùm unam eandemque repudiare conjugem cuique fas eſt, ſed & tertiũ dimittere, ac denuò recipere, modò alteri interim nõ nupſerit, permittitur, ultra nequaquam, niſi infamiæ notam ſubire quis velit. Hinc facilè videre eſt non magis firma eſſe apud Turcas virorum & mulierum conjugia, quàm impuros vulgò proſtitutarum & ſcortatorum amores. quinimò æquè levibus de cauſis matrimonia diſſolvi, uxoreſque à viris rejici, quam apud nos moroſi & imperioſi domini dominæve ſuos ex ædibus famulos famulaſque ſibi non ad nutum ſervientes expellunt. Adeò ut ob tantam divortiorum crebritatem, & uxorum leviſſimis de cauſis mutationem, eò ſpectare Turcarum matrimonia jure dixeris, non ut pietati, ſed ſpurcitiæ; non ſpiritui, ſed carni; non uni Deo cœli, ſed Ventri, & Veneri, & Cupidini ſerviatur, hominumque impotentium immoderatæ intemperantiæ quam laxiſſimè remittantur habenæ. Plures autem cum alant uxores, quibus ſingillatim quotidie victum diſtribuunt, avaritia immenſa, ſumma diſcordia, contentiones, rixæ continuæ, illos torquent; quas

quas demum divortia plurima, & de repudiis controverſiæ fere infinitę(ut diximus) ſequuntur. Vtriſque enim & viris & fœminis vel quâvis datâ occaſione, etiam nullâ interjectâ causâ, quovis tēpore divortium petere conceditur. Hinc verò filii quandoque parentes, iidemque filios ſuos non cognoſcunt, ac nullo idcirco amore ſe mutuò proſequuntur. Chriſtiani Orientales, itemque Hebræi, unicâ uxore contenti, polygamiam non admittunt. Fœminæ tamen, lotæ prius & dotatæ à viris, uti & Turcæ, matrimonia ineunt. Cæterùm Chriſtiani Syriæ indigenæ (qui quidem per univerſam Syriam plures ſunt quàm quis credat) ob diutinam cum infidelibus conſuetudinē (ex convictu enim, ut author eſt Seneca, mores formantur) plurimi immerſi vitiis, nihil præter nomen Chriſtianum præ ſe ferunt, pejores quandoque ipſis Turcis ac Mauris. Non tamen omnibus eadem conditio eſt: ſunt enim multi vitæ ſanè exemplaris, ſynceri admodùm, ſimplices, & hæreſeos neſcii, Chriſto in primis devoti, ac carnem jejunio macerantes, quibus & Mundus mortuus eſt, & ipſi mundo; adeoque virtutibus dediti, ut etiam quandoque moribus & vitæ ſanctitate noſtræ religionis monaſticos longè ſuperent. Licet autem variis exactionibus, oppreſſionibus, injuriis, & opprobriis à Turcicis Magiſtratibus, lucro plerumq; inhiantibus, indies vexen-

tur, deprimantur, & affligantur, vilipendanturque ab omnibus cum Turcis tum Mauris: ſub jugo tamen vivere aſſueti, ac libertatis commoda prorſus ignorantes, ſecum optimè agi putant, ſuamque cæterorum gentium conditioni longè præferunt, ac ſe ſolos fælices arbitrantur; quinimo ſe longè beatiores Occidentalibus prædicant, quod fæliciores ac temperatiores regiones inhabitent, cum tamen omnium miſerrimi atque infeliciſſimi habendi ſint, quibus ipſa miſeria pro ſolatio eſt. Quid enim acerbius quid calamitoſius evenire alicui poſſit non invenio, quam per tyrannidem ſępenumero bonis ſpoliari, ſtuprari filias, abduci filios, eoſque in avitæ fidei ac proprii ſanguinis perniciem educari; denique vapulare innoxios, & quibuſvis barbarorum exponi injuriis; neque tamen vel hiſcere quidem audere? Atqui his, aliiſque malis calamitatibuſque premi pleroſque Orientalium manifeſtum eſt: neminem tamen reperias, qui de illatâ injuria, aut vi, vel damno accepto apud magiſtratus Turcicos conqueratur, cum nulli tutus ad judices pateat acceſſus: id enim ſi quis facere præſumat, prius omnem conſumat ſubſtantiam, vitæ etiam incurrat diſcrimen, quam ſuis rebus afflictis auxilium ferat, vel maxime verendum eſt: fraude nimirum & potentia Turcarum

rum

rum omnia confundente. Interim hoc unicum miſellis in hac lerna malorum ſolatium ſupereſt, quod publicum Religionis Chriſtianæ exercitium impunè omnibus permittatur. Habet namque ſua quæque natio & Templa & Oratoria, ubi ſacra peragere, & convenire religionis ergo libere poſſunt. Lex enim Mahometæa Chriſtianos cujuſcunque ſub Imperio Turcico degentes non attigit, niſi uſque eo ut neminem à Lege Mahometis dehortentur, cæterum omnibus liberum eſt ſuæ quibuſque Eccleſiæ parere decretis. Hinc heri famulos, parentes liberos, & Epiſcopi ſubditos quotidianis exhortationibus admonent, excitantque, ut in ſua quiſque Fide conſtantiſſime retinenda ad mortem uſque perſeveret. Licet autem Patriarchæ vel Epiſcopi Chriſtiani ſub Turca degentes Romam quandoque ſe conferant, ut à Pontifice Romano vel ungantur in Epiſcopos, vel ab aliis inuncti confirmentur, vel ſuam Eccleſiæ Romanæ ſubjectionem, & cum ea communionem confiteantur; nunquam tamen quiſquam illorum damnum aliquod ea de re paſſus eſt, multo minus à magiſtratibus Turcarum vel in carcerem conjectus vel ſupplicio affectus eſt, niſi prætextu religionis aliquid contra Rempublicam eos egiſſe conſtiterit, aut ea de cauſa apud Magiſtratus Turcicos

 fuerint

fuerint accuſati. Quinimò nec religioſos Romæ in academiis educatos, literis imbutos, & ſacris initiatos, cum in patriam reverſi ad dignitates eruditionis ergo promoti fuerint, ulla injuria unquam à Turcis acceptos, aut detrimenti quicquam hactenus à magiſtratibus Turcicis ſuſtinuiſſe quiſquam intellexit. Præter publicum autem religionis exercitium etiam arcum ligneum, ac tela, ſagittaſve Chriſtianis Orientalibus, cum iter faciunt, geſtare, ædificare domos, agros colere, vineas plantare, armenta poſſidere, propriaque re uti omnibus liberum eſt. Neque tamen hæc gratis concedi quis putet, ſed ſoluto à ſingulis tributo annuo, aliiſque præſtitis & angariis & vectigalibus, fiſco penſitari ſolitis, quibus omnes nemine excepto redduntur obnoxii. Sunt autem varia apud Turcas tributa, ut vectigalia publica: pro cujuſque tamen magiſtratus arbitrio modò majora modò minora. Ordinaria, uti accepimus, hæc ſunt. Quotannis ſinguli patres familias pro cujuſque capitis redemptione Cechinum ſive Sultaninum aureum ſolvunt. Si parentes ſolvere nequeant, ad liberos ſuos in ſervitutem vendendos compelluntur. Alii catenis vincti oſtiatim obambulant, ut ſtipem emendicent. Quod ſi nec ita quidem ſolvendo ſint, perpetuis carceribus mancipantur. Adhæc pro Ove, Caprâ, aut Vitulo Maidinos quinque: pro Bove, E-

quo,

quo, aut Camelo tria Sajata: quartam item partem fructuum, quos colligunt, in publicum inferre horreum, aut ære redimere coguntur. Mechanici quoque de ſuo quæſtu quartas dependunt. Pro domo, ſi quis propriam habeat, pretio domus æſtimato, certum annuum tributum publico exactori pendit. Cum nos Alepi hæreremus, inter cætera maximum à Baſſâ Alepino Chriſtianis urbis incolis impoſitum fuit vectigal: quo taxatis domibus pro cujuſque valore, quiſque ſemeſtris locationis pretium ſolvere cogebatur. Publici exactores ſeu Publicani, *Emini* vulgo appellati, ut plurimũ Hebræi ſunt, gens exactionibus & uſuris ſupra mortales cæteros dedita. Hinc *Scifut*, id eſt Cornuti per ignominiam dicti, odio ab omnibus, cùm Chriſtianis, tum Mahometæis habentur, quum ipſi etiam Turcæ paulo ſyncerioris homines conſcientiæ, nolint audire publicani; non aliter ac ſi cum infamiâ conjuncto propter aliorum nequitiam nomine virum bonum appellari nefas ſit, etiamſi præter officium nihil ipſe faciat.

CAPVT X.

Variæ Arabum & Turcarum monetæ: earumque genera & pretia.

FRequentem ſuprà Turcicæ monetæ mentionem fecimus, pretium tamen nullibi expreſſimus. Locus idcirco hic poſtulat ut nummorum Turcicorum valorem brevibus explicemus, quo ſingulorum pretium lectori innoteſcat, colligique poſſit qui noſtrorum Principum nummis reſpondeant. Varia ſunt apud Turcas Mauroſque Syriæ indigenas monetæ genera, argenteæ præſertim, & æreæ, unicum aureæ. Hanc Turcæ *Altumler* Mauri *Dahab*, Itali *Sultaninum* indigitant: reſpondet autem Venetorum Cechino, ſeu Ducato Vngarico; ejuſque pretium ratione temporis, vel ob bellorum gravamina, vel alias ob cauſas Baſſarum edicto modo augetur, modo minuitur. Cum nos Syriam peragraremus, valoris erat Maidinorum nonaginta; licet paulo antè minoris extitiſſet pretii. Diximus hanc valore æquare Cechinum Venetum, & Ducatum Vngaricum: ſunt tamen qui Gallica quoque atque etiam Hiſpanica ſcuta aurea juſti ponderis (etſi minus apud nos valeant) pro Sultanino expendant. Monetæ argenteæ plura ſunt genera.

vel

vel enim Sajat vel Maidini, vel Aſpra, Turcicè *Achtſia*, nuncupantur. Aſprum minus cæteris valet: id Turcis etiam *Oſman*, Mauris *Atmenie* dicitur. Duodecim Aſpra decem Gazettis, vel viginti Marchettis, aut Solidis Venetis æſtimantur: quæ noſtris Stupheris octo reſpondent. Maidinus vero Aſprum cum dimidio facit, ac noſtrum Stupherum æquat: quinque Maidini, vel octo Aſpra unum Sajat conficiunt: quatuor Sajat duas libras Venetas cum dimidia, ſeu noſtros Stupheros viginti valent: Sajat octo Ducatum Turcicum valoris quadraginta Maidinorum conſtituunt, duo Ducati cum ſemiſſe Sultaninum efficiunt. Præter Turcicos hos omnes Chriſtianorum quoque Principum nummos argenteos admittunt plurimos; Ducatos argenteos Venetos, Taleros Germanicos omnis generis, Batavicos item, & Regales Hiſpanicos; qui omnes eodem æſtimantur pretio, valentque ſinguli Maidinos ſexaginta quinque, licet apud nos pretio multum inter ſe differant; adeo ut talerus unus cum ſemiſſe Sultanini aurei valorem æquet. Ob tamen evidens atque ingens lucrum Taleri præſertim Batavici eo plurimi advehuntur, Cechini vere Veneti nulli penitus, aut rari, cum pluris æſtimentur Venetiis. Habent & Syri æneos nummos varii pretii; Zibit, Mangurem, Direm, & Nuccaros appellatos. Nuccari

ſex

ſex Maidinum efficiunt, Mangures item ſex Aſprum valent, unus verò Nuccarus duobus conſtat Diribus, duo item Zibit unum Direm faciunt. Hieroſolymis, perque univerſam Palæſtinam Damaſcū uſque Maidini Cairenſes in pretio ſunt: valentque duplo plus cæteris Syriæ Maidinis. Hinc Cechinus ſive Sultaninus aureus dum nos moram Hieroſolymis traheremus, quadraginta quinque tantum Maidinis iis in partibus conſtabat, Talerus verò triginta æſtimabatur. Damaſci nobis iſtac iter facientibus Cechinus centum & ſexdecim Maidinos valebat; Talerus ſexaginta quinque. Alepi ſub diſceſſum noſtrum Cechinus ad centum & viginti Maidinos, Talerus ad ſexaginta octo excreverat. Cæterum Turcicæ monetæ argenteæ pleræque adulterinæ ſunt, ut etiam ipſi mercatores iis recipiēdis aſſueti probas ab improbis vix diſcernant. In Cypro inſulâ Venetæ monetæ nummi & argentei & aurei indigenis in primis grati ſunt, magiſque expetuntur quam Turcici: quinimo Sajatos & Maidinos Syriacos omnino recuſant, ſolaque admittunt Aſpra. In Cretâ cæteriſque Veneti juris inſulis ſola Veneta moneta in uſu eſt, eaque cum lucro, expenditur; cum majoris ibidem ſit pretii, quam Venetiis.

CAPVT XI.

Privatorum in Syriâ ædes, & habitacula. Varia in iis ſupellex, & circa domeſtica cultus.

DIximus hactenus de variis Turcarum Ritibus, Ceremoniis, Templis, Religioſis, Magiſtratibus, Publicis ædificiis, deque privatorum in Syriâ moribus, vitæ inſtituto, ac monetæ genere, & pretio: ſupereſt modò ut de Ædium in Syriâ qualitate ac conditione, Ciborum, item & Veſtium genere aliqua ſubjiciamus; ac primum de Ædibus Syriæ dicendum, & Supellectili variâ. Hæ unius fere contignationis ſunt, paucæ duarum, pauciſſimæ trium, lapideæ pleræque: tecta non cuneatim coëuntia, ſed plana, & pavimentis ſubdialibus ex contusâ teſtâ fiſtucatâ operta: quæ tranſverſis trabibus ſuſtentantur. Sacra Scriptura Domata vel Solaria vocat, noſtræ leges etiam Solaria vel Meniana appellant: ſuntque ut plurimum corona cincta, ne facilis in præceps lapſus ſit. Ianuæ ita humiles & anguſtæ, ut quiſquam niſi incurvato corpore ingredi nequeat. Introitus aliqui profundi adeo atque obſcuri, ut ſpecus ingreſſum potius, quam domus putes. Frontiſpicia plateas adſpicientia nullas feneſtras habent, aut

raras,

raras. Impluviis pleræque ditiorum exornatæ; quibus lumen deorſum cubicula capiunt. Quadratæ præterea formæ continent diætas, hieme ad Solem, æſtate ad umbram admittendam percommodas, magnifico ſanè & fornicato opere conſtructas. patent ab uno latere, & nonnihil eminent, ternis quaterniſve gradibus marmoreis, vel lapideis adſcenſum aditumque præbentes: parietes marmore incruſtati, pavimentum è marmore verſicolore eſt; id tapetibus inſternunt, quibus (calceis in ipſo aditu relictis) more ſuo inſident. Hic convivantur, latrunculis ludunt, confabulantur, ac quoſvis illos convenire volentes admittunt. Seris clavibuſque utuntur ligneis, non ferreis, uti apud nos moris eſt. Claves palmares, quadratæ, oblongæ, digitum craſſæ; quarum alteri lateri extremo infiguntur clavi ferrei quini, vel ſeni, aut ſepteni, pluresve, prout ſeræ exigit ratio: qui certo ſpatio ſejuncti quaſi unciatim eminent. Claves hæ ſerarum foraminibus inſertæ, clavis infixis, illos (qui in ſera occuluntur mobiles & oppoſiti) elevant: atque ita ſera reſeratur. Rara in his ædibus ſupellex, nullus aulæorum ſplendor, pictarum tabularum varietas nulla, nullus inſuper cathedrarum aut ſcamnorum uſus: non menſæ, non mappæ, non quadræ, non mantilia, imo nec fulcra, nec capſæ, aliave cubiculorum

orna-

ornamenta noſtratibus uſitata. Ditiorum quidem cubicula tapetibus inſternuntur, culcitris è byſſo vel holoſerico ſuperpoſitis. Culcitris adduntur pulvinaria, cervicalia, & coopertoria ſerica, lintea nequaquam: eorum namque uſum minimè cognoſcunt. Arma pendent de parietibus. Ciſta hic tantum una, atque altera, eaque viminea, & corio tecta. Rariſſimi præter Baſſas, ſcamna cathedraſve in uſu habent, deauratas & holoſerico veſtitas. Plebeii unica culcitra contenti, ſtorea tantum ſuppoſita, humi decumbunt; tegumento autem goſſypino, aut lineo depicto, & goſſypio ſuffulto noctu ſe contegunt, & ſuperioribus tantum exutis veſtibus, ſubucula, caligiſque goſſypinis induti, dormiunt. Menſa illis eſt corium rotundum, *Sofra* dictum, humi extentum: cui panem, obſoniaque imponunt. Hinc aſſident more ſuo, & velut bruta animantia, capite inclinato, avidiſſimè ſimul & immundiſſimè vorant. Ante cibum preces præmittunt. Panem non ſcindunt, ſed frangunt. Tribus aut quinque digitis cibum ſumunt, nunquam duobus; Diabolum enim hoc modo veſci ſtolidè nugantur: quem nequaquā imitandum cenſent. Honeſtiores tabulam rotundam, pediculo palmaris altitudinis affixam (quam *Tubaccam* vocitant) menſæ loco habent; eamque corio pro mappa inſternunt, & ſubſtratis ſtoreis, vel

tape-

tapetibus, aut parvis pulvinaribus inſidentes, cibum ſumunt. Cœnâ peractâ, aut prandio, ſpongiâ madefactâ corium abſtergunt, ac lavant: mox fune extremis infixo oris, veluti marſupium contrahunt; cui panem reliquum, ac cochlearia includunt, & in angulo cœnaculi ſuſpendunt. Tenui autem victu contenti, non eos ciborum apparatus, nec tam varias dapes habent, neque ea celebrant convivia, quæ noſtrates ſolent. Fœminæ cum viris nunquam aut rarò prandent; ſed ſeparatis in cubiculis prandia ſumunt, ac parcè admodum victitant. Servis duodecimum annum egreſſis mulierum ingredi habitacula non permittunt: ſed minoris ætatis pueros adhibent: qui illis inſerviant, & neceſſaria quæque deferant. Servæ ſeu captivæ uxoribus cohabitant, iiſque inſerviunt, & domi continuo latitantes manuum operibus incumbunt, nec ſervorum uti conſuetudine, aut colloquia cum ipſis miſcere ullo modo illis liberum eſt. Quinimò nec domo egredi, aut in publicum prodire conceditur: niſi cùm vel heras ad balnea progredientes, vel extra urbem, orationis vel recreationis ergo exeuntes, comitantur. Inter empticios ſervos ſervaſque matrimonium quidem permittitur: ſed geniti ex illis vernæ fiunt, & utrique ſeparatim ab heris cibum ſumunt. Sed de ciborum genere nunc diſſerendum.

CA-

CAPVT XII.

Varia apud Mahometanos ciborum genera, & coquendi modus: ac potiones variæ.

SImplicibus Turcæ Maurique, ac Mahometani omnes, & naturalibus cibis famem pellunt, nec curioſum conviviorum apparatũ (ut diximus) ullatenus curant; ſed quam diligentiſſimè fugiunt; quinimo epulæ eorum adeò ſimplici, adſtrictaque apparatione fiunt, ut parcius vel frugalius peragi nequeant: cum & ipſæ Baſſarum & Procerum lautiſſima convivia longe abſint à communibus ditiorum apud nos mercatorum & nobilium cœnis & conviviis. Nullæ enim ſecundæ menſæ, nulla bellaria, nulla hîc irritamenta gulæ, nullæ vini compotationes; adeò ut tanta ſua frugalitate, tantaque in eſculentis ſimplicitate non obſcurè nimiam noſtrorum luxuriam, nimiam epularum lautitiam taxare videantur. Quæ (eo proh dolor) crevit, ut non ſolum nobilium & mercatorum menſas opiparas, variiſque dapibus inſtructas, ſed etiam infimæ plebis ad epulas ac delicias parandas immoderatam ſupra ſuas facultates profuſionem ubique ſpectes. Quæ enim omnium ferè mentes de optimis cocis parandis, de

venatu, de aucupio, de caponum ſaginatione, quæ ventri, luxui & libidini ſerviant, invaſerit cura & ſollicitudo, nemo non novit. Neque his contenti, etiam vini generoſi copia ſtudioſiſſimè menſas inſtrui curant: certant cyathis, nimioque potu ſe ingurgitant; & dum certatim Principum, aliorumque vitam & ſalutem propinant, ac magnos plenoſque cyathos epotant, propriæ ſanitati officiunt, morbos ſibi accelerant, nimiaque vini ingurgitatione ſeipſos quandoque necant. Nec enim quis ſatisfeciſſe convivis putat, niſi cyathis & numina & amicos lædat, exemploque ſuo cogat alium, cui propinavit, alienæ favere valetudini, ut ſuam mergat: à quibus omnibus Turcæ vel maximè abhorrent.

Quotidianus autem Turcarum Maurorumque cibus panis eſt ut plurimum frumentaceus, optimus Alepi, & Damaſci: qui pondere ubique divenditur, & plerumque recens piſtus. Caro item vervecina elixa, vel aſſata; quam minutim ſecant, oſſibuſque detrahunt, mox in proprio adipe, non addita aqua, lebetibus impoſitam coquunt, vel verubus affixam, & in minutulas partes conciſam ad ignem torrent, aſſantve: vel conciſam, adipe immixto, manibus ſubigunt, & artocreas conficiunt. Eſculēta hæc in publicis opſopoliis apud fartores & coquos in maxima proſtant copia: qui & omnis ferè generis legumina decocta, pulmentaque

ex,

ex Farre, Hordeo, vel Oryza, ſuo more præparata venalia habent. Hic quoque Piſtores, Furnarios, Laniones, Oenopolas, & ſimile genus hominum, ſuas habentes officinas, conſpicias plurimos. Ab his minutula plebs victum quotidianum emere eſt ſolita: domi namque cum nulla ferè utenſilia ad coquendum neceſſaria humiliores habent, ad publicas haſce culinas, quo cibos emant, ſe conferant neceſſe eſt. Nullæ enim hic tabernæ hoſpitiis deſignatæ, aut publica diverſoria; in quibus indigenis, aut viatoribus exteris cibus præparetur, ut in noſtris videre eſt partibus; ſed publicè in plateis proſtant cibaria omnia. Caro præterea vervecina, ſalita, vel ſiccata. Placentæ item ex Saccharo, Nucibuſque compoſitæ, Mala citrina melle condita, Muſtum ad ſpiſſitudinem mellis coctum, Vvæ paſſæ, Caſeus, & Butyrum (quod quidem prius coctum animalium utribus ſeu pellibus caprinis in uſus neceſſarios condunt) Turcis Mauriſque in cibum cedunt. Herbis quoque hortenſibus fructibuſque, Amygdalis nempe, Nucibus, Avellanis, Fiſtaceis, Piris, Pomis, Ficubus, Vvis, Moſcis, aliiſque veſcuntur ut plurimum. Licet autem in maxima hic reperias copia omnis ferè generis volucres, & domeſticas & ſilveſtres, Turtures præſertim, Perdices, Coturnices, Columbos, Turdos, Gallinas, Anſeres, Anates,

Meleagrides, aliaſque; raro tamen eas comedunt, cum religioni id habeant, & crimini ducant. Patinæ, Lances, Paropſides, Cucumæ, Ollæ, Cacabi, Caldaria, Sartagines, aliaque utenſilia culinaria ænea ſunt, ſtanno obducta: Cochlearia lignea, depicta ut plurimum, formâ oblongâ & præacutâ. Mauri humiliores cochlearia nil curant, ſed digitis utendum & cibum ſumendum putant. Dum enim liquidi quippiam edunt, & præſertim Oryzam coctam, digitis inſimul cavè contractis, cochleare efficiunt, iiſque pulmentum ſumunt, orique admovent, atque ita cibo inter digitos per barbam defluente, ut ſunt barbari, barbaro planè more vorant, deglutiuntque. Mauris aqua eſt potus, vino ipſis lege interdicto. Turcæ & maximè milites Genizari lege hac neglectâ, bibunt avidius vinum quam Chriſtiani: quorum nocturna convivia cupidè ſectantur, & quandoque integras noctes vino epotando abſumunt, fœminis ſuis legem hanc prohibitoriam (licet forte invitis) ſervandam relinquentes. Vinum propterea ſive rubrum ſive album (utrunque enim Syria producit), apud Turcas Mauróſve venditur nullum: ſed ſolis Chriſtianis id venale habere, ſoliſque Chriſtianis divendere, non Turcis Mauriſve fas eſt, quod ſi quis contra faxit, pœnam incurrit pecuniariam. Vtribus more veterum vina urbibus inferunt, ac teſtaceis vaſis ſub terrâ defoſſis

recon-

recondunt, conſervantque diu. Nonnulli etiam (uti Amanti obſervavimus) vitreis vaſis in uſum neceſſarium longo tempore aſſervant. Rotulam (menſura eſt Venetam æquans vini libram, ac ſeſquipoculum noſtrum) Maidinis octo aut decem, nobis in Syriâ moram trahentibus, vendebant. Turcæ nobiliores, ditioreſque aquam Saccharo dilutam vel ſucco Citrinorum mixtam (*Zerbetam* liquor is vulgo vocatur) bibunt, eaque ſitim ſublevant. Vinum quidem negligunt, non ut legi obtemperent, ſed vel ideo abſtinendum ducunt; quod ad multa mala impellere, ac cerebro in primis noxium eſſe cognoſcant. Hinc illud Memoriæ mortem & peſtem, ac letale venenum appellant. Neque verò (uti apud nos moris eſt) potum cibo intermiſcent, aut inter edendum bibunt, ſed remotis vel abſumptis jam cibis potant, ac veluti poſt diu neglectam ſitim, pleno ſe vaſe proluunt. Sunt præterea aliæ potiones Turcis Mauriſque uſitatæ, ex Melle & Vvis paſſis aquâ mixtis, quam *Haſſap* vocant: ex hordei quoque & frumenti farinâ in maſſam coactâ & aquâ decoctâ, Poſco vel Poſcet appellata, nec non ex Muſto coctò aquâ diluto: quibus æſtivo tempore nivem injiciunt, ut magis refrigerent. Adeò verò hiſce potationibus publicis in diverſoriis quandoque indulgent, ac in tantum eas protrahunt, ut non minus in-

inebrientur quam noſtri Zythopotæ ac ventres cereviſiarii cerviſia. Ad hæc quotidiana quadam utuntur potione, quam *Cahua* Arabicè indigitant. Itali *Cavo*. Aqua hæc inſtar atramenti nigra, guſtu amara, in herbæ cujuſdam ſemine (cui *Cahua*, vel, ut alii volunt, *Bunnu*, ſeu *Bunchi* nomen eſt, & in Ægypto copioſiſſimè naſcitur) decocta, ſtomacho prodeſſe, corroborare cerebrum, ac noxium expellere humorem fertur. Semen id mola truſatili prius contuſum vel cote contritum, aqua decoquitur, in hunc ferè modum. Seſquilibram ſeminis viginti libris aquæ immiſcent: quam ad dimidiæ partis conſumptionē bullire ſinunt; eamque calidiſſimam, ac ferè bullientem fideliis Indicis vulgo Porcellanis bibunt, vel potius guttatim ſorbent, ſibique invicem propinant, tam lentè ut interdum integra hora unam fideliam vix epotent, exhauriantve: quod quidem ea ſe ratione facere aſſerunt, ne ſimul & feces, quæ paulatim ſidunt, ebibant: eas ſiquidem, uti noxias, abſorpta aqua abjiciunt. Sunt ex plebe quam plurimi qui Bazarros viaſque publicas, matutino præſertim tempore percurrunt, aquam hanc venalem circumferunt, & foculo ſuppoſito calefaciunt, calefactam poſcenti porrigunt, nec niſi calidiſſimam præbent. Nulli ſiquidem vitio vertitur, aut dedecori, cujuſcunq; demum conditionis aut religionis ſit; ſi eam in publico bibat. Ad publica

ca vero diverſoria ſingulis fere horis aquæ hujus (cujus ſunt appetentiſſimi) potandæ cauſa infiniti conveniunt, & confabulationibus terunt tempus. Adſunt præterea in urbibus plurimi, qui capras circumducunt ac caprinum lac publicis in viis divendunt, & modo mulſum tepidum cuique poſcenti porrigunt. Sed jam ſatis de cibis ac potionibus, ut de veſtibus nonnihil dicamus.

CAPVT XIII.

Veſtes Turcarum, Maurorumque: itemque Chriſtianorum & Hebræorum habitus: & in quibus ab invicem ſecernantur.

TVrcarum Maurorumque veſtes eandem referunt formam, talares ferè omnes, non conciſæ, ſed integræ, manicis in terram defluentibus: in eo ſolummodo differentes, quod aliæ aliis laxiores ſplendidioreſque ſint, pro cujuſque conditione. Omnes quidem byſſo & ſerico ſe veſtire, quocunq; colore tinctis, excepto viridi, liberè ac licitè poſſunt, modo vires ſuppetant. Pręter ſericas ac laneas, goſſypinaſq; etiã ex panno cymatili ſeu undulato (Zambellotam vocant Itali) veſtes habent. Is ex caprarum pilis contexitur, & Ancyræ præſertim (quæ urbs

Galatiæ eſt, hodie *Angori* vulgo dicta) egregie laboratur, atque omnium præſtantiſſimus habitus per univerſum fere orbem abundantiſſime diſtrahitur. Supremam veſtem vulgo *Spahi* appellatam, nonnulli pellibus magni pretii ſuffultã, alii ſimplicem tantum, lineâ vel goſſypinâ telâ ſubplicatâ, oblongis ſtrictiſque manicis, ad talos uſque pendentibus (quas in humeros aliquando rejiciunt) geſtant. Vtuntur & alia ſuperiori, nonnihil à priori differente quam Dulimannum appellant, mediis manicis cubito tenus largioribus. Interiorem veſtem, vulgo *Iubam*, (quam goſſypio plerique ſufficiunt) alioqui talarem, quidam ad mediam uſque tibiam deſcendentem gerunt, poſticâ nonnihil excedente anticam. Hanc fluxiore cincturâ, ſive zonâ byſſinâ, vel goſſypinâ leviter ſtringunt, diſcincti cætera. Humiliores plerique pecuniam zonis involvunt, veteres ſequuti, quibus in more poſitum fuit, ut pecuniam zonis conderent, quod & ſacra pagina teſtatur, Domino ibidem Apoſtolis prohibente ne aurum neve argentum aut pecuniam poſſideant in zonis ſuis. Interior hæc veſtis, ut ſuperior, integra, nullas conciſuras habet, utraque collariis caret: collum propterea dum iter agunt, contra ſolis æſtum linteolo vel ſudario cingunt. Sunt autem Turcarum veſtes ſive ſericæ, ſive laneæ, lineæve, aut goſſypinæ, coloris omnigeni,

unico

unico excepto atro colore, cujus nullus apud eos Mauroſque eſt uſus. Hunc enim uti funeſtum, & turpem contemnunt, vilipenduntque, ac ſolis idcirco Chriſtianis Occidentalibus utendum relinquunt, cum etiam Orientales Chriſticolæ eum abhorreant. Thoracem noſtratibus uſitatum prorſus ignorant, ejus tamen loco laxâ utuntur ſubuculâ umbilico tenus, quam ab anticâ duplicando complicant. Brachas caligis adhærentes, iis non abſimiles, quas vulgus Italum apoſtolicas appellat, induunt, eaſque ligulis aſtrictoriis ſubuculæ non alligant, ut nos thoraci noſtras, ſed leviter tantum goſſypina faſcia ſtringunt, firmantque. Caligas verò etſi laxas fluxáſque gerant, nulla tamen faſcia crurali (uti nobis uſitatum eſt) ſubcingunt. Æſtate ſubligacula ex goſſypina tela laxiora, & ad talos dependentia geſtant. Calceos ſimplices è corio cæruleo, vel flavo caligis aſſuunt. His crepidas *Babus* dictas, ſubtus ferratas, atq; in fronte acuminatas ſuperaddunt. Induſia pleraque goſſypina ſunt, ſine collariis, manicis duplo laxioribus noſtris; ditioribus è tela goſſypina tenuiſſimâ, pauperioribus ex viliori materia: quorum extrema humiliores aliqui non ſubligaculis condunt, ſed ſupra femoralia pendula relinquunt. Dum verò iter agunt, aut obequitant, ocreas induunt genuum tenus. Tulipantho etiam, pluvio maximè cœlo,

acuminatum pileum prææltum, plures habentem plicas, ex rubra vel alba materia imponunt. Tunicis adhæc & aliam ſuperinjiciunt veſtem, *Gepenecam* vel *Iamurluchion* appellatam, à prioribus non multum diſſimilem, laxiorem tamen, longioremque, ad arcendas pluvias, nives, gelu, cæteraque aeris incommoda aptiſſimam: qua & noctu in Chanis ſtraguli loco utuntur. Pauperiores plerique cum capſarum uſum prorſus ignorent, ſi quas habent veſtes, diſtentis funibus ſuperextendunt, ditiores ciſtis vimineis corio obductis includunt. Capitis velamina apud Turcas varia. His enim optimates à plebeiis, militibuſq; diſtinguuntur: his & optimatum inter ſe diſcrimen dignoſcitur. Baſſæ namque & Saniacchi Tulipanthum ferunt ex tela Indica tenuiſſima, arachnidis telis tenuitate conferenda, & candidiſſima, variis circum flexionibus & gyris mira arte contorta, forma oblonga potius nonnihil quam ſphærica. Muphtis, Cadileſcheri, Dephterdarii, ac Cadii omnes ſphæricum ac Baſſarum Tulipantho longè majus, ex ſexaginta nonnunquam & amplius goſſypinæ telæ tenuiſſimæ conſtans ulnis, ſpiris aptatum candidiſſimis. Primates cæteri, Chelibegi nuncupati, Santoni, Seriphi, Hoggii, & Taliſmanni ejuſdem ferè formæ habent tegmina, ſed paulo minora: Seriphi ex goſſypina tela viridi, cæteri ex alba. Mercatores, ac reliqui cives, & incolæ, inferiorem

feriorem Tulipanthi partem nonnihil planam habent, ſuperiorem in rotunditatem deſinentem, multiſque gyris ſinuoſam, viginti ut plurimum ulnarum longitudinis; in reliquo prioribus non abſimile, minori tamen forma. Reliquus populus ſeu minutula plebs pileolo cineraceo, è camelorum pilis, vel rubro è lana caput tegunt: quod ſpira ex tela goſſypina circumvinciunt, apice eminentiore, & intecto. Chiauſii Imperatoris aulici, Baſſarum item & Saniacchorum, qui præconum munera, ſubeunt, inter cæteros Tulipanthi forma emicãt. Eminens enim ſupra lineum velamen inſtar diadematis geſtant pileolum, ex holoſerico rubro, goſſypio ſuffultum, & conſarcinatum; quod in rotundam deſinens formam Tulipantho ſummum addit decorem. Genizari, dum Zarculis non utuntur, (quod præcipuum illis eſt capitis tegmen, cujus formam alibi deſcripſimus) purpureo ſtrictoque pileolo, quam Tachiam vocant, caput operiunt: quod candidis tenuiſſimæ telæ involvunt ſpiris, ut tamen cacumen nudum ſupereminent. Genizarorum ſervi, atque Bedoini, & Arabes plurimi, pileolum nigro & vel rubro vittarum volumine contegunt. Cæterum Mauri tenuiores, à pueris inediæ & laboribus aſſueti, nec caligis utuntur, nec ſubligaculis, nec frigus metuunt, nec æſtum; majorem autem vitæ

ſuæ partem nudis peragunt pedibus, niſi frigus nimis intenſum ſit, vel via cœnoſa; tunc enim vel crepidas, vel calceos induunt. Hinc plurimi calcanea callo obducta, rimiſque ſciſſa habent. Vilibus verò è lana amicti veſtibus, ſurarum tenus (quas *Gabà* vocant,) manicis ut plurimum carentibus, ſuperiorem diſcinctam ferunt; interiorem vix ad media genua protenſam, longa lataque zona e corio cingunt, quam tamen induſium longitudine ſuperat. Neque enim (ut ſupradictum eſt) induſia aliqui ſubligaculis condunt (uti apud nos moris eſt) ſed pendula ferunt, quorum manicæ adeò laxæ ſunt, ut urgente frigore manus per eas ad nudum pectus facillime complicent, ac calefaciant. Ex pannis laneis *Meska* vulgò appellatis, quos ex caprarum ſeu aſinorum pilis rudi modo texunt, limbis nigris albidiſque diviſim intervenientibus, Mauri cæterique tenuioris fortunæ homines non ſolum veſtes, ſed & ſaccos conficiunt, in quibus commeatum omnem per vias deferunt, & Muchari animalium pabula condunt, eorumq; tergoribus ſuperinjiciunt: cujuſmodi idcircò antiquis Hebræis cæteriſque Orientis populis & cilicia & ſaccos fuiſſe putaverim: quibus dum vel mortuos lugerent, vel crimina ſua plangerent aut pœnitentiam agerent, ſe induiſſe ſacra Scriptura memorat. Chriſtiani Orientales, etiam opibus affluentes,

tes, vilibus & ſordibus plerique induuntur veſtibus, ejuſdem tamen formæ, cujus & Mahometæi. Plurimi tunicam geſtant ſuperiorem è lana manicatam duplam genu tenus, cujus ſuffultura candida eſt, exterior verò pars colore infecta: aliqui pelliceam arietinam & candidam & rubram habent, interiorẽ ex lino vel goſſypio ſuffultam: vel ex lana coloris cineracei talarem. Occidentales verò nec non Hebræi eadem uti & Turcæ ferunt genera veſtium, ſoloque capitis tegmine à Turcis Mauriſque diſtinguuntur. Orientales Chriſticolæ ut plurimum Tulipantho è goſſypina tela verſicolore, non tamen candida, ſimplicem in modum complicata caput tegunt. Armenii Pileum acuminatum pellibus ſuffultum, vel cerulei coloris Tulipanthum forma communi capiti imponunt. Occidentales Chriſtiani vulgarem Italicum nigri coloris Pileum ferunt. Hebræi rubrum præaltum in rotunditatem deſinentem, atque alis carentem. Iam verò de fœminarum amictu ornatuque aliqua referamus.

CAPVT

CAPVT XIV.

Turcicarum ac cæterarum in Syriâ fœminarum habitus, ornatus, ac mores.

TVrcicæ fœminæ, magnatum præſertim uxores, & pellices, ſuperbè ac ſumptuoſe veſtiuntur: Harum indumenta non ſolum ſerica & byſſina ſunt, ſed auro quoq; & argento intexta, gemmis micant, forma tamen viris uſitata. Veſtibus autem quas plurimæ ad talos, nonnullæ ad ſuras dependentes ferunt, ubi in publicum prodeunt (quod raro accidit, cum vel ad balnea, vel ad propinquorum tumulos procedunt) utuntur ſimplicibus, nullamque oſtentant pompam, nullam laſciviam. His induſium albidum ſuperinduunt, vel tenuiſſimæ telæ linteo ſeſe involvunt, extremamque lintei oram (uti nos pallium) in humeros rejiciunt. Caput præterea linteo tegunt, faciemque velant, oculis reticulo ex equinis ſetulis tenuiſſimis contexto, vel faſcia ſerica tranſparente & nigra adhibitis, ut ſpectare illæ commodius alios poſſint, & ab aliis ipſæ ſpectari nequeant: idque ex legis præſcripto: cavetur enim Alcorano ne fœmina in publicum prodeat aperta facie: quod adeo ſtudioſe obſervant, atque ita diligen-

diligenter ſe obvelant, & operiunt, ut nedum proximi & familiares illis occurrentes, ſed nec ipſe maritus uxorem ſuam poſſit internoſcere. Si quos obvios habeant, etiam notos; neminem ſalutant, neminem alloquuntur. Vix etiam etſi centies aliqua maritum obvium habeat, vel ſemel eum alloquentem reperias: quinimo adeo fugiunt virorum colloquia in publico, ut etiam monſtrum habeatur virum & mulierem in aperto ſedere aut ſimul equitare. Quo ſanè modo quemadmodum omnis prorſus ad adulteria & illicitos amores ſollicitandi præciditur occaſio, ideoque multo rariora apud Turcas ſunt adulteria quam apud Chriſtianos, ita etiam ſimplicitate veſtium publicè prodeuntes noſtrates fœminas nobiliores præſertim longè ſuperant: quæ prodigioſa veſtiendi inconſtantia, & ſumptu, ac varietate adeo laſciviunt, ut hiſtriones in ſcæna magis repræſentare jure dixeris, quam matronas. Brachatæ omnes per vias plateaſque publicas obambulant, ſubligaculis è tela goſſypina ad talos uſque pendentibus, & ſubter corrugatis, longioribus ipſis veſtibus, quas ſuperinduunt. Nonnullæ ocreatæ, quædam caligatæ; quæ & calceos crepidaſque ferunt viris uſitatas. Plebeiæ ac vulgares fœminæ eodem quoque utuntur genere veſtium, ſed vilioris materiæ: goſſypinis etenim, aut lineis, laneiſve amiciuntur.

Brachatæ

Brachatæ inſuper atque ocreatæ, ut cæteræ, lineo induſio ſuperinduto incedunt; unaque omnes, etiam vetulæ, & deformes, faciem velant. Porrò nobiliorum fœminæ non ſolum ſplendidis, & ſumptuoſiſſimis, ac inſigni arte elaboratis utuntur veſtibus, ſed etiam Torques, Armillas, Pedalia, Brachialia, Dextralia, Periſcelides crurum, Monilia, Inaures, atque Annulos aureos gerunt; vulgares argenteos. Nonnullæ etiam nobiliores cum domi hærent quo proceriores appareant, magiſque placeant viris, palmaris altitudinis calopodiis argenteis deauratis utuntur. Oculos pænè omnes depingunt, fucantque ſtibio, quod venuſtatem addere putant, veterem in hoc ſervantes Orientis morem; de quo apud Ezechiam & Hieremiam paſſim fit mentio. Digitorum etiam ungues ceromate quodam ex pulvere herbæ (quæ illis *Alcanna* dicitur) aquâ admixtâ illiniunt, ac rubros efficiunt. Turcarum, Maurorum & Chriſtianorum Orientis filiolæ faſciâ ſericâ frontem ornant, & ex qua juxta uniuſcujuſque opes plurimi pendent nummi, vel aurei, vel argentei. Hebræorum verò Vſcufiam argenteam, vel æneam deauratam ornamenti loco capiti imponunt, qua & grandiores natu utuntur, capillis arte compoſitis, ac in byſſina vel holoſerica fiſtulâ incluſis per dorſum ab occipitio pendentibus. Puellis quoque teneræ ætatis, ditioribus

tioribus tamen,cujuſcunque tandem religionis ſint, non minus quam grandioribus Armilla, Pedalia,Monilia aurea ſive argentea uſitata ſunt. Dum per vias nuptæ obambulant, ſuos ſæpenumero ſecum ducunt infantulos; quos non brachii sOccidentalium more,ſed humeris, divaricatis tibiis impoſitos circumferunt, aut mancipiorum opera in geſtando utuntur. Cæterum Orientis fœminæ rudes, inſulſæ, ineptæ, ac male moratæ ſunt, inceſſum habent incompoſitum. curſitant pleræque, ventilantque brachia, agreſti planè modo, nullumque prorſus (ut noſtrates) obſervant decorem. Neque ſolum Mahometææ, Hebrææq; omnes velata incedunt facie.His etiam & eadem veſtium forma, & mores paſſim. Nonnullæ tamen Chriſtianæ Dulimanno laneo pro ſuperiore veſte utuntur, cum in publicum prodeunt,nullo ſuperinduto induſio lineo: atque in eo inprimis à Turcicis differunt, quod manibus dete&tis incedant, cum Turcicæ eas linteo condant, atque involvant. Ad unum vero omnes balneis delectantur, frequenterque utuntur. Baſſarum ac Magnatum uxores ac pellices privatas balneas habent, reliquæ publicas accedunt, bis ut minimum ſingulis hebdomadibus. Dum verò eo pergunt, non ſolæ ſed comitatæ ut plurimum commeant, præcedunt ſervæ, ſeu pediſſequæ: quæ ciſtulas linteis ſudariiſque refertas

fertas capiti impoſitas deferunt: ſequuntur heræ plures quandoque, quandoque ſingulæ. Humiliores ſua ipſæmet conferunt ſudaria, lavantque ſe mutuo. Honeſtiores ab ancillis lavari ſe curant; quæ poſtquam heras laverint, ipſæ quoque ſe mutuo lavant. Hinc corpore mundiſſimæ Occidentales munditie longe ſuperant: nec enim putent, aut fœtent; quinimo adeo corporis munditiem colunt, ut etiam quotieſcunque earum aliquæ opera faciunt quæ natura fert (pudor vetat dicere) pudenda lavent. Eam vero ob cauſam tam frequens illis eſt balneorum uſus, quod id ſanitati in primis prodeſſe, ac eo ſpeciem ſibi addere ſe putent, qua ſe gratiores viris fore confidunt; vel quod honeſtam aliquam exeundi occaſionem quærant, cum alioqui perpetuo ipſis domi hærendum ſit. Zelotypi enim cum ſint mariti, non ita facilè fœminis exeundi veniam concedunt, niſi vel balnei, vel parentalium occaſio id poſtulet. Id autem mirandum quod altera alterius, etiam diverſæ religionis, aut conditionis conſortium in balneis non evitet. Sive enim Chriſtianæ, ſive Turcæ, vel Hebreæ ſint, à ſe mutuo haud quaquam abhorrent, ſed ſimul omnes balnea frequentant, ſeque invicem nudas conſpicere, & attrectare non verentur: quapropter maxima inter eas neceſſitudo viget; ſeque invicem intenſiſſimo amore proſequuntur. Mauræ

inopes,

inopes, nec non & Bedoinæ Arabes, Cinganæ Italis dictæ, goſſypinis ut plurimum indutæ veſtibus, velatæ pariter incedunt, ſed pedibus & cruribus nudæ: ut vero ornatiores appareant, labra, frontes, palpebras, genaſque colore cæruleo ſubfuſco fucant; digitorum etiam ungues colore quodam ſubrubro tingunt. Armillis, Monilibus, Pedalibus, Annuliſque non minus ac cæteræ Mahometææ utuntur, ſed æneis, ſtanneis, ferreis, vel chalybeis. Aliquæ æneis, vel ferreis circulis, quinis, vel ſenis brachia onerant potius, quam ornant: nonnullæ teſtaceis vario colore depictis. Faciem inſuper characteribus cæruleis inurunt: vel genas leniter cultello incidunt, & vulnere obducto cicatrices relinquunt. Auricularum quoque torulos Mauræ perforant, æneoſque vel ſtanneos annulos in iis ferunt. Naſi item extremum puellis perturant, & foramini æneos annulos inſerunt. Indecentius me vidiſſe quicquam haud memini: putant tamen illæ ſibi ſpeciem addere, ac nihil eo eſſe elegantius. Quo exemplo quam vane ruat gens humana in ſui cæcitatem, quamque fallamur omnes, edocemur. Exiſtimat Æthiops nigrum colorem candido pulchriorem. putat & candidus aliter. detonſus capillato, barbatus imberbi ſe credit eſſe ſpectabiliorem. Hinc tam varii, ſibique contrarii apud Orbis incolas & mores & habitus. Orientales univerſi imberbes ac

glabros exoſi, raſis novacula capitis pilis, barbam intonſam relinquunt. Occidentales contra comam nutriunt, barbam tondent; & vitium putant, ſi quis barba incompta procedat, aut in publicum prodeat. His ſuccinctæ, illis longæ placent veſtes. Hi variam veſtium conciſuram ornatum veſtimentis addere exiſtimant; illi id deteſtantur, ac meram ſtultitiam putant. Sic alter alterius ridet ineptias, & ſuum cuique pulchrum videtur. Eſt enim (ut ille ait) amor & rerum cunctis tutela ſuarum; cum tamen interim appetitu potius urgente quam ratione ſuadente vanitati ſtudeamus, ſtultitiaſque ſectemur omnes.

EX-

EXCERPTA EX LODOVICI GODOFREDI ARchontologiâ Coſmicâ.

Deſcriptio Arabiæ.

ARABIA ſi generatim ſumatur, complectitur ingens terrarum ſpacium, quod inter duos Sinus in modum Peninſulæ includitur. Sinus hi ſunt, *Arabicus*, qui & mare Rubrum & Etythræum ad occidentem; & *Perſicus* ad orientem. A meridie habet Oceanum: ad ſeptentrionem Syriam & Euphratem amnem. Eſt autem Arabia triplex: *Deſerta*, *Petræa* & *Fœlix*. *Deſerta* quam *Aſperam* Ariſtides, *Humilem* Servius, *Profundam* Lucianus appellat, ab Hebræis *Kedar* dicitur. Fines ejus ſunt ab ortu montana Babyloniæ, cum parte Sinus Perſici: ab aquilone Meſopotamia juxta Euphratem fluvium: ab occaſu Syria & Arabia Petræa: à meridie montana Arabiæ Felicis.

Petræa tangit Syriam ab occidente & ſeptentrione, habetque confinem ab

Oriente Deſertam, & à meridie Felicem. Hanc Plinius, Strabo, Ptolemæus *Nabathæam* vocant, Tyrius ſecundam, nonnulli *inferiorem*. Petræa dicitur à præcipua regionis urbe *Petra*. Barbaris hodie appellatur nominibus, diciturque Barra, ut Zieglerus putat, vel *Bengacal*, ut Caſtaldo placet. In hac eſt *Sinai* mons, cujus tam frequens eſt in S. Literis mentio, quod in eo lex Moſi à Deo tradita eſt. Eſt autẽ Sina mons prȩaltus & aſcẽſu perdifficilis, gradibus induſtria humana in lapidem vivum & petras duriſſimas inciſis, ut homines & jumenta illas tranſire poſſint. Eſt in iſto monte conventus Monachorum Chriſtianorum, ſed Maronitarum, qui Græcorum more vivunt. Sunt autem Monachi circiter quinquaginta, qui viatores, qui illuc religionis cauſa peregrinantur, hoſpitio excipiunt. Eſt in eadem regione alius mons, non minus celebris in Hebræorum monumentis, nomine *Horeb*, altitudine tamen multum infra Sinam: appellanturque hi duo montes à Ptolemæo *Melanes*. Caput hujus Arabiæ eſt *Petra* urbs, quam S. Literæ nominant *Petram Deſerti*, quo non facile adiri poteſt ob viarum difficultatem: multique ſunt qui eam ipſam putant eſſe *Mecham*, in qua Mahometes natus fuit: ſed hæc ſententia repudianda videtur, cum Mecha communiter putatur eſſe urbs Arabiæ Felicis.

Hæc *Arabia Felix* cum deſerta & Petræa conjungitur, excurritque in modum Penin-

Peninſulæ inter duos ſinus, *Arabicum* & *Perſicum*, complectiturque circumnavigatio ejus 3504. mill. Solino aliisque dicitur *Ayaman*, ſive, ut alii ſcribunt, *Giamen*. Præſtantiores ejus urbes ſunt *Medina Talnabi* (idem quod Civitas Prophetæ) ſita ad latus Arabiæ Petrææ, ſatis frequens populo. Spectatur in hac ſarcophagus *Mahometi* Pſeudoprophetæ, circa quem ultra 111. lampadum millia ardere perhibentur. Porro Mecha civitas, patria Mahometi non longè diſtat ab oppido Petra, quanquam non ipſa Petra ſit, ſed ſitus potius reſpōdeat *Mechara* Ptolemæi. locus eſt ſatis amænus & elegans, etſi intra montes concluditur & circum ſe deſerta habet. ipſa quoq; urbs deſtituta mœnibus: numerantur autem in ea ad ſex habitationum millia. Proficiſcuntur ſingulis annis Mecham tres Caravanæ, una ab Damaſco, altera ab Cayro, tertia ex India, viſendi cauſa loci natalitii Pſeudoprophetæ: quo viſo Medinam proficiſcuntur, ut & ſepulchrum ejus devoti ſalutent.

Zidem oppidum eſt maritimum, diſtans xl. millibus à Mecha. Muros non habet, domibus tamē pulchris conſpicua eſt. *Zibeth* pręcipua eſt totius hujus Arabię urbs, ſita loco plano inter duos montes ſupra fluvium ejuſdem nominis, itinere medii diei à mari Erythræo. Cum Aden urbem Turcæ cepiſſent, hanc quoque occupavere, miſſo eo Beglerbego cum exercitu.

Aden urbs eſt regia, ſita in littore Rubri

Arabicarum urbium pulcherrima, fortis & tuta, non ſolum ratione ſitus, ſed & humanæ induſtriæ. Aggeres habet & Propugnacula firmiſſima, & portū clauſum, populoque valde abundat, ut quæ ſex domuum millia complecti credatur. Aſtu & proditione ceperunt Turcæ hanc urbem cum toto regno Anno à N. C. MD XXXVIII. occiſo Rege. Præeſt huic noſtro ævo Beglerbegus Turcicus, inſtructum ſemper juxta ſe habens exercitum.

Quamvis in *Arabia deſerta* vaſtæ ſint ſolitudines, habitatur tamen frequentibus opidulis villisque; neque deſtituitur incolarum multitudine, inprimis juxta Euphratem, & circa montana Arabiæ Felicis: ea enim pars quæ in occidentem porrigitur, tota arenis cooperta eſt.

Arabiam Petræam Veteres omnino ſterilem judicaverunt, illa tamen pars quæ Syriam attingit, melior eſt alterâ. Quicquid ſit, conſtat fere deſertam eſſe, & carere pleriſq; rebus ad vitam commodè agendam neceſſariis: deſtituitur autem vel maximè lignis & aquî dulci. Palmæ tamen alicubi creſcunt ferentes fructus craſſos & teneros, quique non nimis abundant humiditate. Sed & Manna hic decidit, & in littoribus naſcitur Coralion, ſpecie quidem ſatis pulchra, ſed intus concavum. Invenitur & in quibuſdam hujus Arabiæ partibus Amethyſtus gemma.

Arabia Felix melius quam *Petræa* vel *Deſerta* culta eſt, ut quæ pluribus rivis & fluviis irrigatur, quorum nonnulli etiam in lacus diffunduntur. Ergo fert hordeum & reliqua frumenti genera, inprimis oryzam, ut & mellis ceræque copiam, nec non arborum omnis generis fructus. Bis & hic in anno ſeritur, bis metitur, ut & in Indiæ plerisque locis. Proveniunt inſuper hic Palmarum Dactyli, Nardus, Caſia, Cinnamomum, Myrrha, Thus & aliæ res atque herbæ odoriferæ maxima copia. Nec Metallis omnino deſtituitur, nec gemmis lapillisq;, inprimis quæ in littore maris felici piſcatione extrahuntur. Alit præterea Arabia hæc equos præſtantiſſimos & arietes adeo pingues, ut cauda eorum nonnunquam viginti libras pendat. Ager tamen circa Medinam eſt prope ſterilis, qui non multum gignit rerum bonarum: is vero qui circa Mecham eſt, etiam aquæ potabilis inopia laborat.

Mores antiqui Arabum.

Artes & ſcientias priſci Arabes nihili non faciebant. Capillos capitis promittebant omnes, barbam vero alii radebant mento tenus, alii non; qui ceteros ætate anteibat habebat in juniores imperium. Qui ſanguine juncti erant, omnes facultates ſuas communes habebant, etiam mulieres; ut qui interdiu

primus ad aliquam ingreſſus fuiſſet,poſito ante oſtium baculo ſuo, ejus frueretur concubitu. noctem vero exigebat mulier cum maximo natu. Hac ratione omnes inter ſe fratres haberi volebant, conſuetudinem Veneris etiam cum matribus ſororibusque habētes,brutorū inſtar. Adulterium morte puniebatur: is autem habebatur adulter, qui cum alia conſueſceret muliere,præterquam cum ſanguine juncta. Quicquid hoc pacto in aliqua familia naſcebatur,habebatur legitimum. Curam mortuorum nullam gerebant, ut qui & reges ſuos vita functos in ſterquiliniis defodiebant.

Fidem in promiſſis contractibusque præ cęteris ſanctè præſtabant: cumque de re aliqua ſtipulari volebant, tertius quidā inter duos contrahentes conſiſtebat medius, percuſſaque palma manus ſuæ, contrahentes in eam imponebant primores digitos: deinde ſumebat parvum villum de utriuſq; veſtimento, tingebatque eum ſanguine manus ſuæ, & conſpergebat ſeptem lapides in hunc finem ibi præſentes, invocabatque teſtes Dionyſium & Vraniam. Huc accedebant certæ obligationes, comparituros eos qui ad hunc modum paciſcebantur, coram certo judice quem Mediator iſte nominabat, ſi opus eſſet, ſive peregrinus is foret ſive civis. habebaturque hoc honeſtiſſimum paciſcendi genus, quo utebantur in conciliandis novis federibus, aut amicitia. Cinnamomum colli-

colligebant non alii quam ſacerdotes Arabes, qui antè animalia quædam ſacrificabant: quique inter eos authoritate cæteris præſtabat, dividebat cinnamomum in certas partes, reſervato primo faſciculo in honorem Solis. Quod ſi arbitraretur, cinnamomum æqualiter diviſum eſſe, excitato vehementiâ radiorum ſolarium igne, ſeipſum eo exurebat.

Fuit & certa quædam gens inter Arabes, quæ ſerpentum carnibus veſci ſolebat, unde *Ophiophagi* dicti fuerunt. Alii camelorũ carnibus & lacte vivebant, quibus etiam utebantur ad expeditiones belli & ferenda onera. Qui vero inter eos *Debes* dicebantur, paſtionibus & agriculturæ dediti erant: perhibebantur hi nonnunquam inter glebas & ceſpites terræ invenire auri puri globos rotundos, ad magnitudinem nucis juglandis, quibus includant precioſos lapillos, atque inde torques ac monilia conficiant. Vendebant autem etiam aurum vicinis extraneiſque, duas auri libras dantes pro una ærisCyprii aut etiam alius metalli.

Apud *Sabæos* ſolus Rex judicabat controverſias, eligebanturque reges arbitrio populi, adſcitis fere ad eum honorem iis, qui ex ea orti erant familia, unde antea quoque reges electi fuerant. Perſuaſum autem erat regibus iſtis, quod ſi progrederentur extra palatium regium, è veſtigio obruendos eſſe lapidibus à populo. unde pedem porta Regiæ non efferebant.

rebant. Lectica eorum & cathedræ pregrandes erant, quarum pedes ſive fulcra ſolido conſtabant argento, reſpondebatque huic magnificentiæ reliqua ſupellex regia. Negant autem Scriptores eos unquam captos fuiſſe deſiderio invadendi rapiēdiq; alienas terras aut poſſeſſiones.

Garæorum, qui & ipſi Arabes fuerunt, tantas fuiſſe aiunt divitias, vt omnis eorum ſupellex eſſet ex auro & argento; aditus vero ædium & tecta & parietes ex ebore. Infra quem ſplendorem multū erant poſiti Nabathæi, apud quos infamiæ notam incurrebat, qui bona ſua diminui patiebatur. *Panchaii* utebantur in bello curribus, dividebantque regnum ſuum in tres partes: primam aſſignabant *Sacerdotibus*: ſecundam *laboratoribus*: tertiam *bellatoribus*, in quibus etiam cenſebantur paſtores. Sacerdotes decidebant omnia litigia, ſive verſarentur inter privatos, ſive concernebant Rempublicam, excepto ſupplicio capitali.

Laboratores cum collegiſſent fructus terræ, conferebant eos in commune, quique inter eos habebantur magis ſtrenui, numero decem ſeligebātur, ut di tribuerent fructus viritim. Paſtores obligati erant uti magna diligentia in publicum proferrent ea quæ ad ſacrificia ſolennia ſpectabant, utque omnia legitimè diſtribueſentur ſecundum pondus: ita nihil erat inter eos privati, præterquam domus & horti. Tributa & ſubſidia erant in manibus

nibus ſacerdotum, qui cuiq; dabant pro neceſſitatis exigentia, ipſi vero duplum percipiebant, conſentientibus cæteris. Habitus veſtitusq; eorum purus erat & nitidus, quod lanæ apud eos multo molliores eſſent quã noſtrates. Tã viri inter eos quam fœminæ geſtabant aurum, ferentes collo torques & monilia, armillas brachiis, digitis annulos, auriculis gemmas more Perſarum, utentes calceis verſicoloribus. Defenſio regionis erat penes tertiũ genus, nempe *Bellatores. Sacerdotes* vitam vivebant deliciis affluentem, caſtitatis tamen ſtudio clari. Veſtes eorum erant ſtolæ longæ, candidæ, è lino puriſſimo, quidam etiam geſtabãt togas è molliori lana. Capitibus imponebant mitras aurificum induſtria factas exornataſque, vacabantq; fere ſervitiis divinis, recitantes ad ſonum harmoniacum hymnos in laudem Deorum ſuorum. Ajebant autem ſe omnes genus ab ipſo Iove ducere, qui in eorum regionem aliquando venerit, tunc cum inter homines moraretur. Aurum, argentum cęteraque metalla regione exportare nefas erat, nec licebat Sacerdotibus egredi Templis locisque ſacris, ut ſiquis in loco prophano deprehenſus fuiſſet, impune à quovis interfici poſſet. Dona atque anathemata Templorum magna cum cura cuſtodiebant. Ipſe locus, ubi ſimulachrum Dei quem colebant cuſtodiebatur, longus erat cubitos ſex, latus quatuor, magnifico

& ad-

& admirabili ſtructus opere. Omnis autem ager circa templum ad ducenteſimū ſtadium, ſanctus habebatur, & quicquid in eo proveniebat, ſervitiis divinis applicabatur.

Mores Arabum noſtri temporis.

Sunt autem Arabes colore fuſco, ingenioſi ac ſubtiles, ſuperſtitioſi, boni negociatores, vindictæ, novitatis & mutationis rerum cupidi. In commune ſunt latrociniis dediti, quique multum moleſti ſunt viatoribus. In bello plus efficiunt ſolertia & vafritie quam robore & fortitudine: pugnant non ſervatis ordinibus, confiſi potiſſimū numero. Hoſtē ab omnibus lateribus ſimul aſſiliūt, donec turbatis ordinibus rumpant aciem. Aggrediuntur autem hoſtem diſperſi, fugiuntq; rurſum incredibili celeritate. Mulierum ſunt appetentiſſimi, ducuntque plures ſimul uxores, nec ſinunt ullam prodire in publicum, niſi velata facie. Multi eorum ſub rupibus aut cryptis ſubterraneis habitāt. Ingrediuntur ſeminudi, ferentes ſinuoſa pallia & caligas laxas. Arma eorum ſunt arcus cum ſagittis, & longū haſtile, quod mitti è manu poteſt. Qui per Arabiam Deſertam iter faciunt, ductum Solis & ſtellarum ſequi coguntur, ob latiſſimos campos arena tectos, accedente alio incommodo, quod etiam numeroſi ſæpe ab Arabicis latronibus invadantur, & multorum

torum dierum cibaria & aquam ſecum ferre cogantur. Petrenſes ut plurimum vivunt è dactylis palmarum, qui cibus eorum optimus eſt & vulgatiſſimus.

In littore Rubri Maris ſaliunt ſiccantque magnam copiam piſcium, qui ſic indurati benè ferunt ætatem. In Arabia Felici multum vivunt ex re pecuaria, multi etiam, præſertim maritimi, ex negociatione.

Veri autem propriéque ſic dicti Arabes ſub papilionibus ac tentoriis vitā degunt: nam qui in oppidis habitant, Mauri appellantur: illorum cibus uſitatus eſt *maza* ſive placenta ſub candentibus carbonibus cocta: oleum ejuſque uſum in deliciis habent. Divitiæ eorum conſiſtunt in camelis, paucioribuſque equis & armis: hæc ſunt bona quæ à patribus ad filios hæreditatis jure tranſeunt. Soleas ferreas equorum ungulis nequaquam inducunt, ephippiis utentes leviſſimi ponderis; inque hac paupertate magnificè ſentiunt de ſua nobilitate.

Narratio, unde & quando Arabum & Maurorum gentes in Hiſpaniam venerint.

Mahometis Arabis vitam qui deſcripſerunt, multi fuerunt, qui etſi non uno modo illius res tradunt, in eo tamen conveniunt omnes, quod eum è plebeio vilique genere ortum, pauperibus parentibus, patre Ethnico, matre Iudæa natum affirmant

affirmant: fraudibus tamen atque verſutia effeciſſe, ut propheta vulgo crederetur. Hic igitur Mahometus aſcito ſibi in Societatem Sergio Monacho Arriano novam illius ope commentus eſt religionem,ſive ſuperſtitionem, è Iudaiſmo & Arrianiſmo confuſis coadunatam, quod virus primo clam, deinde publice diſſeminare auſus eſt per Arabiam. Hoc modo magnam hominum multitudinem, in primis Arabum ad ſe collegit, adeo ut circa annum Chr. DCXVII. Ducem ſe appellare auderet omnium Arabum & Sarracenorum.

Poſtea Caliphæ Arabici (ſic enim vocabantur ſucceſſores Mahometi) beneficio novæ hujus ſuperſtitionis, & armorum ſuorum,in tantam excrevere potentiam, ut octoginta poſt mortem ejus annis,*Vlitus* Calipha nullo prope mortaliũ interpellante, omne poſſideret littus Africæ, quà illa ſeptentrionem reſpicit, prætereaque Palæſtinam, Syriam, Arabiam & Perſiam: & ut enumerationis compendium faciamus, quicquid terrarum in longum velut ducta linea extenditur, ab extrema in occidentem Africæ parte ultra Atlantem montem uſque ad Indum fluvium, qui terminus creditur terræ Aſiæ majoris in orientem ſolem. Hoc igitur Vlito imperitante, circa annum Domini DCC XIII, cum reges Hiſpanorum, ultimi è Gothis, immane quantum omnibus immerſi torperent

vitiis

vitiis, adulteriis, crudelitati, ignaviæ; via facta eſt Arabibus, Mauris & Saracenis irrumpendi in Hiſpaniam. Ingreſſi igitur eam per fretum Gaditanum, interfecerunt ſpacio quinque annorum ultra ſeptingenta millia Chriſtianorum, ſublatisque his impleverunt regionem. Mauris, dejectis a regali ſolio Gothis, quorum tamen prioribus ſeculis tanta virtus fuerat, ut non ſolum imperium Romanum everterint, ſed & ipſam Romam cum Italia calcaverint.

Tradit conſenſus Hiſtoricorum Franciæ anno Chriſti DCCXXV. Abderamũ, Regis Geziti, qui Vlito ſucceſſerat, Proregem per Hiſpaniam duxiſſe trans montes Pyrenæos Maurorum, Arabum & Saracenorum quadraginta millia, quod agmen inſtar diluvii ſe in Galliam infuderit, inque medium illius regni penetraverit, uſque ad quartum à Turonum civitate milliare. Hos autem omnes cæſos fuiſſe à Francis, ductu Caroli Martelli, qui tunc magnus Aulæ Magiſter, ſive, ut appellant, Major domus fuerit apud *Dietericum* Regem. Narrant iidem quinto anno poſt Amorrhæum regem conatum ſuppetias ferre Saracenis, quos idem Martellus intra Narbonenſe oppidum compulſos gravi premebat obſidione, acie victum cæſumque fuiſſe Barbaros iſtos, ne poſthac pedem ulterius in Europam proferrent; eâdemque operâ effectum eſſe, ut

miſeræ Chriſtianorum reliquiæ per Hiſpaniam la titantes,qui colla Mahometano jugo hactenus ſubtraxerant,ſeque armati in montium aſperitates per Aſturiam Cantabriamq; receperant; animum ac vires colligerent , & nova quædam regna ſtabilirent,etſi perexigua, Sobarobrenſe & Ouiedanum.

Arabibus in univerſum tribuunt plerique authores ingenium inſtabile , quieti inimicum , ambitioſum , audax, ordinis impatiens. Sic poſterioribus annis in Aſia duos creaverunt Caliphas : unum in Perſiâ: alterum Damaſci: ex qua diviſione imperii Arabici poſtea nati ſunt Turcæ,qui omne prope nomen Saracenicum & Arabicum per univerſalem deleverunt Aſiam.

Sic *Miramulini* Arabes, nacti ſummam in Africâ potentiam, Caliphas Aſiaticos ſuperiores recognoſcere noluerunt. Hiſpania quidem quadraginta tribus annis per Legatos regum ſive Calipharum ſibi invicem ſuccedentes adminiſtrata fuit, donec Maurus quidam Abderamus , interfecto Ioſepho , ultimo Hiſpaniæ Proregе, Regem ſe appellavit Cordubæ, auſpicatus novum regnum,quod ſub XX regibus duravit annis CCLVII.

ARABIÆ
Topographia & alia,
EX ADRIANI ROMANI
Theatro Vrbium
EXCERPTA.

Catharinæ monaſterium in monte S. Synai, in hoc monachi ſunt S. Baſilii, qui ſingulis annis cum maxima devotione celebrant feſtum Glorioſæ virginis Catharinæ, ardentque continuo tredecim lampades ante altare. Hîc corpus quieſcit hujus virginis.

Arach, antea dicta Petra: hîc adhuc aliquæ ſuperſunt reliquiæ Chriſtianorum à cingulo denominatorum.

Iterorum, civitas olim magnæ negotiationis, dum floreret Ægyptus, celebris univerſo mundo, cum undique ex oriente eo veherentur merces: ſita eſt ad ſtrictum Sues dictum.

ARABIA FOELIX.

Imbum, civitas magnæ negociationis, in qua exonerantur omnes merces quæ Mecham vehuntur, tam ex occidente, quam ex oriente.

Medina, à Mauris dicta *Talnabi*, quaſi *Propheta civitas*, celebris apud Mahometanos, ratione fugæ & ſepulchri Mahometis. Eſt autem Mahometis ſepulchrum non in aëre ſuſpenſum (ut vulgo fabulantur) ſed in terris catenis vinctum, ne forſan rapiatur ab aliquo. Non eſt autem in Mecca, ut communiter dicunt, Mahometis ſepulchrum.

Danchali, prope hanc civitatem eſt mare arenoſum ſive ſabuloſum, juxta quod proficiſcentes mercatóres utuntur pixide nautica, tanquam ſi per mare periculoſum proficiſcerentur. Et revera patiuntur pericula plurima, debentque ſupra camelos, certis ciſtellis incluſi vehi, in quibus exiſtentes aërem hauriunt per foraminula. Quod ſi ventos habeant adverſos, ſubmerguntur omnes homines arena.

Mecha, civitas illuſtris, magnæque negociationis, templum & turrim habet Abrahamo attributum. Hic aqua eſt Abrezzazon, quam ſanctam exiſtimant, quia ex ea bibit Agar. Hanc civitatem ſanctam exiſtimant Mahometani, ideoque à nullis niſi Mahometanis eam videre licet. Itaque Chriſtianis aliiſque cujuſque religionis hominibus, etiam totam orientem peragrandi poteſtatem habentibus hanc civitatem ingredi eſt capitale. Lapis quoque hic oſtenditur ab eorum ſartonibus, in qua dicitur Agar ſediſſe: atque ab hoc fingunt lapide Mahometem

volaſ-

volaſſe in paradyſum, ideoque à multis peregrinis Mahometanis hæc viſitur civitas.

Sana, civitas non vulgaris eſt.

Damarcana civitas, aërem habet optimum, eſt ex pulcherrimis Arabiæ.

Zibitia, Regem habet proprium, qui hodie tributarius eſt Turcæ.

Adem civitas, principem habuit proprium, qui per fraudem occiſus eſt opera Solimanni Belerbi Cairenſis, qui civitatem occupârat, cum antea eſſet Luſitanorum: Hodie ſubeſt Motoar Regi de Hieman, qui eam cepit à Selimo II. Hæc civitas clavis eſt hujus Orientis, magnaque in ea mercatura aromatum & Zibetti.

Fartacum, regem habet proprium.

Calaiate, in regno Motoar, huc mercatores maximam ducunt quotannis multitudinem pro India.

Gubelchama, hîc reſidet rex.

Amanſifilirina, proprium habet regē.

Alibinalis metropolis ſuæ regionis.

Moſſa, civitas regia eſt.

Lazzach, hîc magna negociatio equorum, & aquæ roſaceæ, quæ vehuntur in Indiam.

ARABIA DESERTA.

Baſſora, antea Regem habuit, Luſitanis tamen ſubjectum; jam præſidium hîc habet Turca, cum aliquot triremibus, quæ aliquando ad Ormus uſq; excurrunt.

EXCERPTA EX GEOGRAPHIA NVBIENSI.

A Mecca ad Medinam, cujus nomen eſt Iathreb (quę urbes ſunt Arabię felicis) via recta, decem ſunt ferè ſtationes: Nam à Mecca ad Batn-Marri, eſt diverſorium quoddam, in quo eſt fons aquæ per arenas decurrentis, palmis aliquot circumſeptum, & ad quod recipit ſeſe gens quædam Arabum, ſexdecim habentur milliaria. A Batn-Marri ad Oſſan triginta tria milliaria: Oſſan autem eſt Caſtellum diſtans à mari decem ferè milliaribus, & extant in illo putei aquæ dulcis, coliturque cætu quodam de familia Giohainæ. Ab hoc ad Codaid, milliaria viginti quatuor: inter Codaid & mare intercedit ſpatium quinque millium paſſuum. A Codaid, ad Giohfam hoſpitium Damaſcenorum peregrinantiũ ad Meccam, diſtans à mari quatuor fere paſſuum millibus, viginti ſex habentur milliaria. A Giohfa ad Alabua diverſorium in quo ſunt putei, milliaria vigintiſeptẽ. Et ab hoc ad Socqia totidẽ milliaria; At verò Socqia eſt hoſpitium ſecus flumen ſitum, horto, & palmetis amœnum· habitatque illud populus quidam ex familia Tai, cæteriſque Arabum familiis. A Socqia ad Roüaitham, in qua ſunt ſtagna qua-

quatuor, habitatores nulli, milliaria triginta ſex. Ab hac ad Sebalam, triginta quatuor. Et ab hoc ad Malal hoſpitium in quo ſunt putei dulcis & copioſæ aquæ, milliaria ſeptemdecim. Ab hoc ad Sogeram receptaculum incolarum Medinæ, milliaria duodecim. Ab hoc denique ad Medinam ſex milliaria. Totius deſcripti ſpatii ſumma eſt ducentorum ſeptuaginta milliarium.

Patet etiam alia via à Mecca ad Medinam, quæ obliqua eſt & per montes: Nã cum quis egreditur è Mecca, arripit iter per oras maritimas ad Batn-Marri, deinde ad Osfan, tum ad Codaid, ad Choüar, ad Theniat-almara, ad Madlat-Mahag, ad Batn-Madhag, ad Batn-dhat-Kaſed, ad Agerad, ad Dhi-Samar, ad Batn-Aghda, ad Madlagiat-Giaafar, ad Aina, ad Adhan-alfahat, ad promontorium montis Argi, ad Thaniat-alaiar, ad Rima, ad Hai-Amar filii Aauf, ad Medinam, quam palmæ circumdant plurimæ craſſorum feraces dactylorum, quibus vitam ſuſtentant incolæ ſuam, nulla aut ſemina, aut armenta poſſidentes; Potum iiſdem miniſtrat exiguus amnis, quam à parte orientali ex magno quodam fonte duxit ad latus Vrbis ſeptentrionale Omar filius Chattab per canales in ipſa effoſſas. Magnitudo vero urbis Iathreb æquat mediam partem Mecchæ. Aquam ad irrigandas palmas, & ſi quam habent ſementem ſervi è puteis exhauriunt. Bae-

qyo-Ighircad eſt extra portam civitatis ad Orientem. Et ſex paſſuum millibus procul ab urbe, à parte ſeptentrionali, eſt mons Ohod, quo nullus eſt alius eidem urbi propinquior: eminetque mons iſte terræ multis ruribus ac pagis refertæ, ad habitatores Medinæ pertinenti. Quatuor millibus paſſuum longe à Medina, ex parte ipſius meridionali, in via quæ ducit ad Meccam, eſt flumen quod vocatur Vadi-Laacqic, cujus ripas agri & palmæ diſcriminant. Inter Medinam & mare intereſt ſpatium trium dierum, & Algiar eſt portus ipſius. Algiar autem eſt oppidum frequenti populo cultum, eratque priſcis temporibus urbs proxima Gioddæ.

Via vero à Medina ad oppidum iſtud eſt ejuſmodi: Exibis primum è Medina ad Choſciob, conficieſque ſtationem unam: Ab hoc ad Ghoraib ſtationem alteram, per cujuſdam montis radices: & hic eſt puteus aquæ vivæ & potus ſuavis. Et ab hoc ad Algiar, ſtationem ſimiliter unam. Algiar autem adjacet mari, & naves ad eam appelluntur. Similiter ab Algiar ad Gioddam habetur iter terreſtre decem fere dierum per oras maritimas, & mare modo vicinum eſt, modo remotum. Harum vero ſtationum pleræque conficiuntur per arenas ventis agitatas, & vias abditas, quas maris, ac montium ductu indagare neceſſe eſt.

Ad orientalem plagam Mecchæ poſt ſexa-

ſexaginta milliaria extat Taief, ad quam ſi quis ire cupit à Mecca, procedit ex ipſa ad Badid-almortafe oppidum populoſum,in quo ſunt Arabes vagabundi: Deinde ad Carn-almanazel Caſtellum populo frequens, in angulo bivii ſitum: & ab hoc ad Taief. Volenti vero ab eadem Mecca proficiſci ad Taief per viam qua itur ad Acqic, tria ſunt millia paſſuum conficienda ad Arfat: tum ad Batn-Naaman locum palmis conſitum: deinde ſuperabit aſcenſum Keda, unde proſpiciet Taief; ac tum deſcendens,alium facilem collem tranſcendet: tum demum ingredietur Taief. Porro Taief eſt habitaculum Thacqifi,eſtque urbs parva, populoſa, ſuavibus aquis irrigua, cœli temperie ſalubris, frugibus abundans,ruribus ampla,uvis præſertim opulentiſſima; Porrò ejus uvæ ſiccæ celebres ſunt, & in partes univerſas diſtrahuntur: & major pars fructuum Mecchæ ab illa defertur;eſt autem ſita prædicta Taief ſuper dorſo mõtis Ghazuan: & in dorſo hujus ejuſdem montis ſunt habitationes filiorum Saad, quibus fit comparatio in aliquo ingenti numero exprimendo. Ibidem quoque degunt cætus familiarum Hodhaïl. Cæterum nullus in univerſa regione Hagiaz (i. e. Arabiæ) reperitur mons frigidior cacumine hujuſce montis, in quo aqua interdum tempore æſtivo conglaciat. In partibus Mecchæ orientem reſpicientibus vigent præſertim filii Helal, & filii

Saad cum familiis Hodhadl: in partibus autem occidentalibus, familia Modlag, atque aliæ ex familiis Modhar.

Mecca præterea habet caſtella, ſive arces, è quibus eſt Naged-Altaief, & Nageran, Carn-almanâzel, Acqic, Ocadh, Lia, Tarba, Maiſa, Caiſa, Gioras, & Sarat; ex caſtris vero quæ poſſidet in Tæháma, ſunt Sancan, Serrain, Sorqia, Ghaſm, Bais, & Aac. Porro Caſtella Medinæ ab ea denominata, ſunt Taima, Daumat-Algiandel, Alferè, Dhu-Lmorüat, Vadi-Liqora, Madian, Chaibar, Fadac, Cqere-Arinæ, Vahida, Saiara, Rohba, Saiala, Sabana, Rahett, Adhab, Achhal, & Hamia.

Iter autem à Mecca ad Sanaa, id eſt: Exibis imprimis Mecca ad Serrain ſuperiorem, ubi puteum reperies: deinde ad Carn-almanazel oppidum magnum: tum ad Sofe parvum oppidum, ubi duo ſunt putei multæ & ſuavis aquæ ad bibendũ: tum ad Care oppidum habitatum, palmis abundans, & excurrentibus irriguum fontibus: poſtea ad Roüaitha oppidum magnum, frequentibus palmis & fontibus diffluentibus conſpicuum: tum ad Tabalam urbem exiguam in collis radicibus ſitam, fontibus, palmis, & agris affluentem: inde ad Baiſat-Iactan civitatem parvam, populoſam, bonis domiciliis, campis pulchris, aquis erumpentibus, & palmis non multis: tum ad Giaſda, ubi eſt puteus parcus aqua: tum ad Niab oppidum ingens, populo, & palmis fre-

frequens, ubi invenitur fons aquæ dulcis: tum ad ſangia hoſpitium inhabitatum: inde ad Caſſa pagum magnum abundantem fontibus, vineis, palmis prædiis, oleribuſque: hinc ad Negem pagum habitatum, ubi extat puteus; poſtea ad Sadum Rah oppidum magnum cultum habitatoribus, & ædificiis amplum, fontibus, & vineis refertum: Diſtat ab hoc urbs Gioras intervallo octo milliarium. Gioras autem, & Nageran ſunt ejuſdem pene magnitudinis, & utraque abundat palmis, & in utraque ſunt officinæ ad condiendas pelles, in quibus conſiſtunt merces, & negotia incolarum, qui ea in arte excellunt. Item à Sadum ad Mahgera pagum magnũ ſcatebris irriguum, ubi etiam eſt puteus profundus, aqua fœcundus: In hoc pago eſt arbor maxima, quæ vocatur Talhat-almalec, ſalici perſimilis, majoris tamen molis: & hæc arbor eſt terminus inter ditionem Mecchæ, & ditionem Iaman. Illinc ad Adhia pagum formoſum: tum ad Saada civitatem parvam, ſed populoſam, in qua optimæ pelles condiuntur, ac deinde ad permultas Iaman, & Hagiaz regiones aſportantur. Diſtat vero hæc à Sanáa milliaribus centum octoginta. Ab hac ad Amaſiam hoſpitium incultũ in quo parvus eſt fons. Deinde ad urbem Gionuan, ex qua eſt arx munitiſſima, & duo ſtagna aquarum, incolæ miſcellanei ex gentibus Omar. Creſcunt in hac vineæ, atque

miræ magnitudinis granorum, è quibus conficiuntur uvæ ſiccæ, ſuaves guſtu, & craſſitie præcellentes, quæ deferuntur in regiones finitimas, & remotas: & hæc diſtat à Sanaa ſeptuaginta duobus milliaribus. Similiter à Gionuan ad Saada habentur quadraginta octo milliaria. Gionuan poſſidet pagos, ædificia, & rura aquis irrigua, & populis culta; degunt quoque in illa diverſæ familiæ Ghaſan, variæque nationes Arabum. Ad occidentalem partem Gionuan habes terram Abadhitarum, quorum regiones ſunt populoſæ, arces munitæ, arva permulta, pagi frequentes. Ex hac progredieris ad urbem Anafeth, in qua vineæ ſunt multæ, palmæ raræ; cujus cives utuntur aqua magni cujuſdam laci fontibus ſcatentis; Inde ad Rabda urbem parvam quaſi caſtellum, multis circumdatam vineis, arvis latiſſimis, fontibuſque manantibus; cujus præterea incolæ poſſident armenta, & camelos. Hac in urbe eſt puteus altiſſimus, & ædes illa firmiſſima memorabilis apud ſcriptores: Diſtat autem hæc à Sanaa ſtatione una. Totum iter à nobis deſcriptum conficitur à Caravannis ſpatio viginti ſtationum.

Porro via, quæ ducit à Mecca ad Dhi-Sohaim de terra Chaulan, eſt hujuſmodi. A Mecca ad Malecan hoſpitium viatorum, indeque ad Ialamlam montem interjectum ab Oriente ad Occidentem, in quo eſt hoſpitium gentibus Tehamæ, habes

habes ſtationem unam: Tum ad domicilium quoddam ſolitarium, in quo eſt fons aquæ, ſtationem item unam: Ab hoc ad Caina pagum exiguum, ubi ſunt duo putei, ſtationem unam: Hinc ad Darca, & Olbob duo oppida populoſa, ſtationem unam: Ab his ad Habaſcia pagum parvum, aquis abundantem ſtationem unam: Tum ad Canona diverſorium, in quo habetur puteus, ſtationem itidem unam: Deinde ad Baiſat-Haran hoſpitium, in quo manent adhuc reliquiæ Arabum, & extat puteus aquæ ſuavis, ſtationem unam: Ex hoc ad urbem Hali parvam mari adjacentem, ſtationem ſimiliter unam: Ab urbe Hali maritima ad flumẽ Sancan, quod fluit uſque ad urbem Sancam, ſtationem unam: Inde Baiſat-Iaƈtan, ſtationem unã. Tum ad Haran-Alcarin oppidum parvum, populoſum tamẽ, & in quo habes rivos aquarum currentium, & palmas aliquot, ſtationem unam: Tum denique ad Chaulan-Dhi-Sohaim arcem munitam, cujus incolæ ſunt fortes, ac robuſti. Omnes prædiƈtæ regiones ſunt in terra Teſamæ, quæ eſt portio Iaman.

Terra vero Tehamæ ſunt montes intexti initium ducentes à mari Calzumeo, cui etiam præeminent: & eorum partes aliquot tendunt in plagam orientalem. Porro limites Tehamæ hi ſunt; Ab Occidente terminatur mari Rubro, ab Oriente montibus protenſis à Meridie ad Aquilonem. Longitudo ejuſdem, à Sor-

à Sorgia ad Aden ſecus litora, eſt duodecim ſtationum: Latitudo vero ipſius, à montibus uſque ad ditionem Alabeorum, quatridui eſt; Habet etiam à parte ſui Orientali urbem Saada, Haus, & Nageran: & à patre ſeptentrionali, Meccam, & Gioddam: à meridionali Sanáa, ad diſtantiam decem fere ſtationum. In terra Tehamæ ſunt Arabes errabundi ex omni ſtirpe. Mecca vero eſt centrum, ac meta habitatorum Peninſulæ Arabæ, videlicet regiones Iaman. Nam à Mecca ad Sanaa eſt intervallum viginti ſtationum: & ab eadem Mecca ad Zobaid, ſtationum totidem: Rurſus a Mecca ad Iamama interſunt ſtationes una cum viginti: item à Mecca ad Damaſcum ſtationes triginta: Et ab eadem ad Baharain, ſtationes viginti quinque.

De Alcorano, ſeu lege Arabum; & ratione XX annorum quibus utuntur.

LEgem ſuam (ut ait Cl. D. Erpenius in notis ad Hiſtoriam Ioſephi) Arabes & reliqui Muhammedani vocant Coranum, quam Muhammed iis perſuaſit cælitus ad ſe demiſſam. Ea enim licet futilis ſit, inepta, mendaciis referta, nulloque ſenſus acumine, aut argumentorum pondere, quod vel leviter hominem Chriſtianum movere poſſit, inſtructa; tanta tamen eſt ſermonis puritate, tam accurata analogia, & ſcripturæ perfectione expreſſa,

expreſſa, ut merito iis materia & norma Grammaticæ conſtituatur.

Vocant legem illam ſuam *Koranum*, à verbo *Karaa*, quod eſt *legere* & *colligere*, unde *Koranus* eſt *lectio*, & *collectio*. Etſi autem *lectionis* notio propterea male ei convenire non videatur, quod Iudæi quoque legem ſuam, ſeu vetus Teſtamentum, ab eodem Themate *Mikra*, id eſt, *lectionem* vocent, quod lectione digna ſit, & in Eccleſia legatur: tamen Arabes eruditi omnes ita dictam volunt à collectione Suratarum, ſeu capitum quę comprehendit.

Moles ejus haud multo minor eſt mole novi Teſtamenti, atque hoc caput, quod ordine eſt duodecimum, partem ejus conſtituit fere octogeſimam. Incredibile autem eſt dictu quantum ei libro virtutis, majeſtatis, & autoritatis, adſcribant, quantum ei honoris, imo venerationis deferant. Integri de præſtantia ejus extant libri, quos ſine riſu homo Chriſtianus non legat: Super omnes eum creaturas excellere, & proximum à Deo locum tenere prædicant: qui irreverenter eum tractat, vita indignum, nec minus flagitioſum eſſe, quam ſi ipſum contemneret Deum. Hinc magna cum reverentia & veneratione eum accipiunt, & è manibus deponunt, neque Chriſtianum vel Iudæum attingere eum permittunt: inſidere autem ei, immane eſt piaculum; Chriſtianis etiam & Iudæis capitale

pitale

pitale. Quin ipſis Muhammedanis nefas eſt, niſi bene mundi ſint, & loti, vel extremis eum digitis attingere: qua de cauſa, ne imprudēter peccent; corio ejus, extrinſecus, majuſculis literis Arabicè inſcribere ſolent *ne tangat eum niſi mundus*.

Sunt autem Corani, ſeu Alcorani capita centum & quatuordecim. Horum capitum alia *Meccenſia*, alia *Medinenſia* inſcribuntur: cum enim pſeudopropheta Meccæ, quod celeberrimum eſt Arabiæ emporium, invito magiſtratu & civibus pleriſque doctrinam ſuam divulgaret, coactus tandem fuit urbem deſerere, & Iatſribam, quod oppidum eſt exiguum, decem dierum itinere à Mecca diſtans, confugere: ubi à civibus cum gaudio exceptus viſum ei fuit imperii ſui ſedem collocare, unde & *Medinatalnabi*, id eſt, *civitas Prophetæ*, & abſolute *Medina*, id eſt, *civitas*, dictum fuit. Hic quæ accepit cœleſtia, ſceleſta penè dixeram, oracula, ea Medinenſia vocata ſunt, ut quæ antea ſuis Meccæ obtruſerat, Meccenſia. Cæterum ut Meccæ natus & educatus fuit, ac, Magiſtratui ſubditus, decem annos doctrinam ſuam clam primum, deinde palam ſparſit: ita Medinæ, excuſſo ſubjectionis jugo, jam princeps factus politicus ſimul & eccleſiaſticus, totidem annos imperavit, & docuit; ac tandem undecimo à fuga ſua anno obiit, atque ſepultus eſt.

Ea fuga *Hegira* iis dicta, incidit in noctem illam quæ ſequuta eſt 15 Iulii anni

æræ

æræ Chriſtianæ 622, & communis eorum eſt æra, uti nobis nativitas Chriſti. Supputant tamen illi annis lunaribus, qui undecim ferè diebus breviores ſunt ſolaribus. Hactenus Erpenius. Cæterum in hanc rem illuſtris locus eſt in Hiſtoria Saracenica Georgii Elmacini, ſub finem vitæ Muhammedis: *Cum æra*, inquit, *Hegiræ annos obſervet lunares, commemorabimus eos ut in illa ſeſe habent, & docebimus quot ex iis anni fiant ſolares, ut ſana nobis ſit Chronologia inde ab Adamo, piæ memoriæ, ad hoc uſque tempus. Traditur itaque Muhammed obiiſſe, impletis annis ſolaribus 6123, menſibus novem, & quatuordecim diebus: elapſis temporis Hegiræ annis Lunaribus decem, & diebus ſeptuaginta: id eſt annis ſolaribus novem, & undecim menſibus, minus uno die: primus enim Hegiræ dies fuit Iovis, & ultimus vitæ Muhammedis fuit Lunæ: ut dies fuerint 3614.* Hæc ille.

VVOLFANGI DRECHSLERI
HISTORIA
ARABVM.

VVOLFANGI DRECHSLERI

HISTORIA ARABVM.

An. 597. Naſcitur Machometus patre Abdalla, matre Emma ex gente Iſmaelitarum temporibus Mauricii Imperatoris, & Gregorii pontificis Romani.

623. Machometus ſuo pernicioſo dogmate inſtinctu & inſidiis Ioannis Antiocheni, & Sergii Italici Monachi Alcoranum ſcripſit, & ſeducẽs Arabas, alioſque Aſiaticos populos, eos Saracenos nuncupavit.

637. Moritur Machometus, ipſe ætatis agens annum quadrageſimum, Sepultus in Meccha Perſidis urbe.

638. Hieroſolyma poſt biennalem obſidionem à Saracenis devaſtata.

639. Tota Syria à Saracenis clade affecta eſt.

640. Saraceni ab imperatore Romano defecerunt.

641. Antiochia à Saracenis everſa, Damaſcus capta, Phœnicia oppugnata, ſubacta Ægyptus.

648. Maximam partem Africæ Saraceni ſuo imperio ſubjugarunt.

655. Rhodus nobiliſſima inſula à Saracenis oppugnata eſt, quam capientes plurimum ex ea auri avexerunt: & Coloſſum ſolis nobilem altum 110. ped. ex cujus ære Iudæis vendito, noningentos Camelos oneraſſe dicuntur.

656. Ægeum mare pyratica infeſtarunt, & Cycladibus inſulis multa intulerunt damna.

663. Saraceni Olympium Italiæ Exarchum in Sicilia, cum toto exercitu fuderunt.

668. Conſtantinus IV. cum Muchamodo Rege Saracenorum, hac conditione iniit pacem, ut Saraceni magnam vim auri, Romanis exolverent, cum inſigni equo, & cum nobile puero.

672. Irrupere Saraceni in Siciliam, & Syracuſis captis, omnique terra devaſtata, Alexandriam rediere.

675. Obſeſſa eſt Conſtantinopolis à Saracenis, qua fruſtra ſæpius oppugnata, cum navibus conſcenſis, domum redire ſtatuiſſent, major eorum pars naufragiis periit.

676. Romani Saracenos vicerunt, occiſis triginta eorum millibus.

679. Pax ſecundo inter Romanos ac Saracenos ad triginta annos hac lege facta eſt, ut Saraceni Romanis, tria millia librarum auri, quinquaginta captivos nobiles cum totidem equis annuatim ſolverent.

686. Saraceni Rege Ammiratho Africam

cam & Lypiam invaſerunt, multis ſpoliis ditati.

687. Mortuo Conſtantino, Iuſtinianus ejuſmodi conditionibus cum Saracenis pacem iniit, ut Africa & Lybia imperio reſtituta, per decem annos ſingulis diebus mille aureos, & equum cum nobile puero loco tributi penderent.

688. Hoc fœdere rupto Iuſtinianus pugnam cum Saracenis iniens, plurimum damni ab iis retulit.

692. Fuſis per Saracenos Romanis, nomen Saracenum crevit, dignitas Romanorum valde imminuta eſt.

698. Abimelech Saracenorum Rex Africam invadens non diu victoria gaviſus eſt.

700. Romani Syriam deprædantes, ducenta millia Saracenorum fuderunt.

706. Contentione de imperio inter Iuſtianum & Leontium orta, Saraceni Africam rurſus occupaverunt.

710. Saraceni ex Lybia navigantes, primum intulerunt pedem Hiſpaniæ, vaſtantes Tarraconenſem, Bethicam & Luſitaniam.

718. Cum trecentis navibus Saraceni Aſiatici Conſtantinopolim appulere, & eam mari terraque acriter oppugnarunt. Eodem anno in Bulgaris duo & viginti millia Saracenorum cæſa.

719. Zulemon Saracenorum Rex, in caſtris ante Conſtantinopolim moritur, ſublato in ejus locum Amiratho.

720. In obſidione Conſtantinopolitanæ urbis multi ex Saracenis, fame, peſte, & frigore interierunt. Superſtites cum domum reverti ſtatuiſſent, exorta tempeſtate maris, & igne de cœlo cadente, partim igni, partim aquis, conſumpti ſunt, adeo ut ex claſſe trium millium navium, quinque tantum naves evaſerint. Duravit hæc obſidio totum biennium. Eodem anno Saraceni reſarturi perpeſſa mala, cum ingenti exercitu in Hiſpaniam irruunt, omnem terram excepta Gallicia depopulantes.

721. Abidimarus Saracenorum Africanorum dux Burdegalam Galliæ urbem, vi captam diripuit, & in Pictavos movens à Carolo Martello repreſſus eſt. Abidimaro autem principe occiſo, Saraceni aliquantulum ab armis quievere.

730. Saraceni deductis ſecum uxoribus, liberis, ac omni familia, Galliam incurrunt, quaſi perpetuo ibi habitaturi. Cum iis pugnam iniit Carolus Magnus Gallis in auxilium vocatis, & trecentis octuaginta millibus Saracenorum interfectis, ipſe tamen mille & quingentorum militum ex ſuis jacturam fecit.

735. Carolus Francorum Rex Avinionem claram Galliæ urbem, à Saracenis dolo captam ſua virtute liberavit.

737. Carolus multas alias civitates, expulſis Saracenis, paci ac libertati reſtituit. Amorreo altero eorum duce occiſo Athino altero fugato.

738. Idem adjutus Luitprandi Lombardiæ Regis auxiliis, ex tota Gallia Saracenos ejecit, atque expulit.

744. Conſtantinus Copronymos imperator Conſtantinopolitanus claſſem adverſus Saracenos Ægyptios duxit.

759. Saraceni in oriente ſuo imperio, ſemper aliquid, quod Romanorum erat, ſubjecerunt, Romanis inteſtinis odiis diſſidentibus, & in ſolos Galliarum Reges intentis.

778. Carolus Magnus contra Saracenos pugnavit feliciter, in Hiſpania. Rolandus Saracenum Chriſtianos ſæpe provocantem, duello vicit, eoque ſtrato ſuis faciliorem victoriam præbuit.

780. Leo quartus Imperator in Saracenos Syriam inhabitantes incurſionem fecit.

803. Aaron Saracenorum princeps cum trecentis millibus expeditis equitibus, Nicephorum Regem Conſtantinopolitanum oppugnavit, eumque tributarium reddidit, impoſitis legibus iniquiſſimis.

807. Sardinia & Corſyca inſulæ à Saracenis deprædatæ.

826. Saraceni Cretam inſulam ſuæ ditioni ſubjiciunt, Græcis duplici prælio ſuperatis.

828. Saraceni Aſiatici in Palæſtinam: Africani in Siciliam irrumpunt.

830. Bonifacius Corſicæ comes Chriſtianorum auxilio deſtitutus, exceptis

Hetruſcorum populis, trajecit in Africam, & inter Carthaginem & Vticam quatuor prœliis victor extitit, & terrore nominis ſui ex Sicilia Saracenos domum ire ad propria defendenda compulit.

836. Multis terris Saraceni maxima intulere damna, & metu civitates plurimæ hinc inde ad eos defecerunt.

843. Saba Rex Maurorum Saracenorum dux, Siciliam & ſinum Crotonienſem vaſtat, Tarentum capit, cui Theophilus Imperator, & Venetorum claſſes fruſtra reſtiterunt.

845. Saraceni invadentes Hetruriam & Latium, Romam deprædati ſunt, ſed antequam domum redirent, plurimi naufragiis deperire.

846. Illyrio & Dalmatia vexata, Adriaticum mare tranſeuntes Anconam Piceni urbem direptam incenderunt.

847. Leo quartus pontifex reliquias Saracenorum ex portu Oſtienſi ejecit, & transtyberinam regionem contra eos munivit.

867. Saraceni prædæ cauſa iterum irrupere in Italiam & Beneventanum agrum in Samnitibus igne ferroque vaſtarunt, ſed à Ludovico & Lothario regibus in fugam ſunt converſi.

870. Cum Perſis Saraceni iterarunt bella. Perſæ Turcico milite uſi (montem Caucaſum tum Turcæ habitabant, & vocabantur Tartari) illorum auxiliis vicerunt. Ab eo uſque tempore Turcæ nunquam

quam poſtea reliquerunt Aſiam,& in Saracenicum tam regnum, quam nomen tranſiverunt.

878. Ex Sicilia Saraceni, quam ſeptimum & quadrageſimũ annum tenebant, penitus expelluntur.

881. Carolus Craſſus irrumpentes Saracenos Italia arcuit.

891. Nicetes dux Conſtantinopolitani Imperatoris, egregiam victoriam de Saracenis reportavit.

910. Saraceni Apuliam & Calabriam invadunt.

913. Ad Lyrim Campaniæ fluvium, Saraceni Romanorum civitates vaſtantes, vincuntur.

934. Saraceni Fraxineto irrumpentes ad Aquas uſque pervenerunt, ubi Sagitus dux eorum cum toto exercitu deletus eſt.

935. Genuam Liguriæ urbem Saraceni depopulati ſunt, collectaque ingenti præda in Africam redierunt.

941. Hugo Italiæ Rex Fraxineto capto Saracenam claſſem exuſſit.

944. Radimirus Rex Galliciæ maximum exercitum Saracenorum fudit in Hiſpania.

951. Saraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniam cædibus & incendiis replentes, virtute Alberici Hetruſci Marchionis repreſſi ſunt, & in agro Minturnẽſi in Campania ad Lyrim fluvium ſuperati, cum acceſſionem ad urbem Romam inſtituiſſent.

952. Saraceni ex Gargano monte, in quem ſe contulerant, incurſiones frequentes in finitimos faciunt. Beventum captum incendunt.

969. Otho primus, Germanorum Imperator, Saracenos Italia expulit, & Garganum montem recepit.

970. Saraceni Coſentiam recuperarunt, ex qua paulo ante ab Vngaris ejecti erant.

977. Creta inſula Saracenis erepta.

982. Otho ſecundus, cum Saracenis, quibuscum ſocia arma ex fœdere Græci conjunxerant, in Calabria, magna ſua clade conflixit, Idibus Iulii, fortiſſimis autem ſuorum interfectis, ipſe fuga vix ſalvus evaſit.

1000. Alphonſus Hiſpaniæ Rex, Saracenorum præſidium quoddam, nomine Viſeum, obſidens, ſagitta percuſſus, vitam cum morte commutavit.

1007. Saraceni duplici exercitu Italiam ingreſſi, Capuam ceperunt, Barum obſidione preſſerunt.

1009. Saraceni Aſiatici Hieroſolymam occuparunt.

1013. Henricus ſecundus Germanorum Imperatori Saracenos Capua expulit, & duces quoſdam eorum partibus faventes gravi bello perſecutus eſt.

1018. Calyphas Ægypti præſes Saracenico exercitu & Turcico (qui tum Perſidem occupaverant) adjutus templũ Domini Hieroſolymis diripuit & ſpoliavit.

1048. Calypha mortuo, Imperator Conſtantinopolitanus cum Dobire filio, & ſucceſſore ejus fœdus iniit, & ejus permiſſu Dominicum templum inſtauratum eſt.

1056. Robertus Nortmannus Capuam à Saracenis obſeſſam liberat, & Græcos cum eis confœderatos Calabria ejicit, Sacerdotibus tantum relictis.

1060. Antiochiam & Cæſaream vexantes Saraceni repreſſi ſunt.

1095. Ad Cinitum oppidum ultra Boſphorum Thracium multi Chriſtiani à Saracenis occiſi ſunt.

1096. Ex Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Lotaringia, Alemania, Burgundia, Lombardia, Italia multi exercitus, contra Saracenos in unum confluxere, animo exturbandi illos ex Hieroſolymis & tota terra ſancta

1097. Prædicti exercitus apud Niceam urbem duabus ſtragibus Saracenos fuderunt. Receptæ quoque ſunt Eraclea & Tarſus.

1098. Chriſtiani ex Antiochia expulêre Saracenos, quam obſederunt menſibus undecim. Hoſtium centena millia occiſa. quod prælium commiſſum eſt quarto Cal. Iulii.

1099. In agro Hieroſolymitano bellum à Chriſtianis contra Saracenos commiſſum eſt, & Dei benevolentia Saraceni victi, Hieroſolyma à Chriſtianis recuperata, Idibus Iulii menſis.

Got-

Gotfridus Bolionius Remenſis, Lotharingiæ dux, qui primus muros aſcenderat, Rex Hieroſolymorum, à Chriſtianis victoribus creatur.

Eodem anno Saraceni duce Calypha Babylonio cum centenis millibus equitum, & quadringentis millibus peditum, contra Chriſtianos paraverunt exercitum. Chriſtiani autem quinque millibus equitum & quindecim millibus peditum victores extitere, centum millibus virorum occiſis, & Hieroſolymis conſervatis.

1100. Gotfridus Aſcalonem cepit, magnoque auri pondere ibi potitus eſt. Eodem anno Gotfridus moritur, cui ſucceſſit Balduinus frater.

1102. Balduinus magna ſtrage vincitur, & vix fuga incolumis evadit. Ramæ mœnia, in quam reliquiæ exercitus ejus confugerant, ab hoſtibus diruuntur.

1103. Boemundus Apuliæ Rex cum cæteris in expeditionem Hieroſolymitanam profectus, à Saracenis capitur, & poſtea à Tancredo nepote ſuo liberatur.

1104. Chriſtiani Accaron civitatem Palæſtinæ, quam alii Ptolemaida appellant, poſt vigeſimum diem obſeſſionis capiunt.

1105. Magna pars Saracenorum à Chriſti fidelibus deleta eſt.

Eodem anno Alexius Imperator Conſtantinopolitanus conditiones pacis à Balduino oblatas, accipere cogitur.

1106. Balduinus Berythum & Sidonem,

nem, ut bes maritimas ſubigit. Apud Carrhas ſeditio inter Chriſtianos principes orta, maximo illis damno fuit, irruentibus enim in illos ex improviſo hoſtibus, quidam capti, quidam duces fugati ſunt, exercitu miſere deſtituto. Hanc notam paulo poſt recenti de Saracenis victoria emendavit Balduinus.

1113. Saraceni in regnum Hieroſolymitanum ex Perſide incurrentes, Regis copias forte oblatas fugant & cædunt.

1115. Tancredus, qui patruum ſuum à Saracenis liberaverat, ad montem regalem ab hoſtibus vincitur, & occiditur.

1117. Piſani inter Hetruſcos nobiles populi, Saracenos ex Balearibus inſulis armis ejecerunt.

1118. Balduino ſecundo Hieroſolymorum Rege mortuo, alter ejuſdem nominis ſuccedit, qui Regem Perſarum devicit, atque occidit. Damaſci Regem fugavit. Sed Parthorum Rege ſibi reſiſtente, & illos ulciſci volente, Balduinus capitur, & vinctus ultra Euphratem cuſtodiæ demandatur.

1119. Balduinus poſt octavum & decimum menſem inſidiis è carcere liberatus ad ſuos revertitur.

1122. Venetorum claſſis in Syria Saracenis moleſta fuit, Dominico Michaele duce. Fuerunt Venetis propter multa merita, & virtutem conceſſa magna privilegia.

1125. Pugnatum contra Chriſtianos eſt qua-

quadringentis millibus militum, quibus occurrerunt tribus millibus virorũ Chriſtiani, & Dei benignitate, ſeptem millibus hoſtium gladio cæſis, & quinq; millibus aquis ſuffocatis, Chriſtiani victoriam conſecuti ſunt.

1127. In Syria Chriſtiani duabus ſtragibus fudere Saracenos, ubi in prima pugna duo millia Saracenorum, & quingenti deſiderati. In altera, quamvis uterque exercitus afflictus eſt; Chriſtiani tamen victores extitere.

1129. Rex Aſcalonitarum à Balduino repreſſus; Rex Damaſci tribus præliis victus.

1130. Balduino tertio Rege Hieroſolymitano, è vivis ſublato, Fulco quartus Rex conſtituitur.

1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco Rex ab hoſtibus fugatur, & iniquas conditiones, ut ex obſidione liberaretur, accepit,

1133. Chriſtiani Ægyptiis felici Marte reſtiterunt.

1139. Aſcalon à Chriſtianis recuperatur.

1142. Fulco quartus Rex in Hieroſolymis, inſequens leporem, & ex equo decidens, efflavit animam: cui ſucceſſit Balduinus filius, qui quintus Rex fuit.

1143. Vrbs Ediſſa, & tota fere Meſopotamia à Saracenis & Alapho duce Turcarum, qui jam in oriente magni nominis erant, devicta eſt, multa & miſerabili Chri-

Chriſtianorum ſtrage edita, matronis in æde D. Ioannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis.

1144. Balduinus III. quintus Rex Hieroſolymorum Gaza & Aſcalone Saracenos ejecit, & apud Hierichunta Noradinum Damaſcenæ militiæ principem, quinque millibus hoſtium interfectis, vicit & fugavit.

1145. Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator exercitus Chriſtianorũ contra Saracenos euntes, multis inſidiis fatigavit, ne quid utile Chriſtianæ Reip. efficerent.

1146. Rogerius Siciliæ & Nortmannorum Rex Saracenos Africanos Rege ipſorum capto, ad triginta annos ſibi tributarios reddidit.

1146. Eo anno Conradus ſecundus Imperator ingentes copias pugnatorum, contra Saracenos parat, ſed pugnat infeliciter.

Ludovicus Rex Galliæ contra infideles maximam vim militum cogit.

1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia inſtructis ducentis navibus bellũ contra Saracenos inſtitutum eſt.

Hoc anno Conradus Imperator tranſmiſſo feliciter Boſphoro, prope hoſtes, receſſit, verum deficiente comeatu, & (ut nonnulli ajunt) frumento gypſo corrupto, coactus eſt continere curſum, & copias reducere. Quo cognito Saraceni, à tergo inſequentes, aliquot homi-

hominum millia trucidaverunt.

Eodem anno confluit adImperatorem Rex Franciæ, adjuvandi illum ſtudio, ſed exercitu fame confecto nihil præclari actum eſt.

Eodem tempore Neneti inſtructa claſſe profecti ſunt in Aſiam, opem laturi Imperatori, qui Saracenis bellum faciebat.

1148. Hiſpani expulſis Saracenis, Almariam, & Tortoſam turrigeras urbes recuperarunt.

Eodem anno Damaſcus à Syris, Gallis. AlemannisHieroſolymitanis oppugnata eſt, ac extremi muri diruti, cumque jam ſpes eſſet potiundæ urbis, & expugnandi Saracenos, exorta diſſenſione inter principes, quiſque convocato ſuo exercitu, ab oppugnatione deſtiterunt.

1149. Rex AntiochiæRaimundus cum toto exercitu deletus à Saracenis eſt, omnique terra ejus devaſtata, ſola Antiochia à Rege Hieroſolymorum ægre ſervata eſt.

1151. Rex Hieroſolymorum Balduinus, Ægyptios ac Babylonios fudit.

1158. Saraceni exAlmaria armis profligarunt Hiſpanos.

1159 Balduinus multas civitates ejectisSaracenis in pacem & libertatem reſtituit.

1164. Moritur Balduinus Hieroſolymitanus Rex, ſubrogatuſque eſt frater ejus Almericus, Sextus Rex.

1170.

1170. Almericus in Ægypto clara potitur victoria.

1171. Idem Rex Damiatam obſedit, ſed malis conditionibus init pacem.

1172. Saraceni Africani, plurimas fecerunt excurſiones in Hiſpaniam.

1175. Almericus Hieruſalem Rex febri extinctus, Balduinus filius ejus, in Regem ungitur, Septimus Rex.

1177. Balduinus Saladini Ægyptiorum Regis copiis bis victis & deletis, multum auri Hieroſolymis intulit.

1180. Filia Regis Saracenorum, quæ Pagano principi nupſerat, à Rege Siciliæ in mari, cum ſponſo domum deduceretur, capitur.

Eo anno Chriſtianæ religionis profeſſores, qui Hieroſolyma inhabitabant, vincuntur.

1181. Maximis impenſis ac ſumptibus Carthago à Rege Saracenorum Mauſamuntho inſtaurata eſt.

1184. Balduinus Septimus Rex in Hieroſolymis, quē lepra infecerat, abſque hærede vita excedit. Nepos ejus ex Sorore Balduinus nomine, Rex quidem declaratur, ſed fatorum invidia ex illo honorum gradu eripitur, cui ſucceſſit octavus Rex Guido Luſignanus.

Inter Guidonem Hieroſolymitanum Regem, & Raimundum Tripolitanum comitem orta diſſenſio, cauſa extitit, ut Chriſtiani in extremum diſcrimen inciderent.

1186 Congreſſi Chriſtiani cum exercitu Saldini Regis, viginti millibus ac quingentis ſuorum interfectis, miſere occumbunt. Guido Rex capitur, Tripolitanus Comes ſubitanea morte extinguitur.

1187. Octoginta & octo annis, cum Hieruſalem à Chriſtianis habitata eſſet, hoc anno Regi Saracenorum, expulſis Chriſtianis, deditione tradita eſt, die ſecundo Octobris.

Eo anno univerſam Iudeæ regionem hoſtis Saracenis eripuit Tyro, Tripoli, & Antiochia, vix conſervatis.

1188. Fridericus Romanorum Imperator cum Friderico filio, Philippus Galliæ, Richardus Angliæ Reges cum pluribus aliis principibus, in comitiis decernunt, relictis in Iudæa Chriſtianis ſubveniendum eſſe. Inſtruitur bellum, Fridericus Imperator deductis in Syriam copiis, Armeniaque minore recepta, æſtatis tempore lavandi cauſa Selephium amnem ingreſſus, periit.

Eodem anno Danica & Flandrica claſſis Africana littora infeſtavit, Sylva urbe capta, & incenſa.

1189. Guido collectis copiis Aconem graviter obſidet, ſed Saladini aſtutia ſemper vincitur, magna clades Chriſtianis illata morbo, fame, armis. Sibylla Guidonis uxor cum quatuor filiis in caſtris moritur diſſenteria.

1190. Franciæ & Galliæ Rex conjunctis

ctis ſuis navibus cum Guidonis exercitu, Aconem oppugnant.

1191. Acon poſt biennalem obſidionem conditionibus dedidit:

1192. Inter Philippum & Richardum Reges ſimultate orta, copiæ disjunguntur, & Rex Galliæ domum rediit. Angliæ autem Rex diutius aliquantulum experiebatur belli fortunam, ſed fruſtra.

Eodem anno Venetæ quoque & Piſanæ claſſis disjunctio, Chriſtianæ Reipub. perniciosa fuit, quia & ipſæ diſceſſum parantes, odiorum cauſas domum ſecum attulerunt.

1193. Sultanus Saladinus Imperator Saracenæ gentis, rebus geſtis, moderatione, & fortitudine inſignis, efflavit animam, filiis ejus regnum inter ſe diſpertientibus.

1195. Saraceni Africani in Hiſpaniam irruentes, binis ut nunc ſunt, regnis potiuntur, Caſtellæ & Granatæ.

1198. Henricus Imperator Moguntino Archiepiſcopo, & Othonæ Saxoniæ Electore belli præfectis, ac pleriſque aliis magni nominis viris, novas inſtruxit copias cõtra Saracenos, & receptis ad certum numerum civitatibus, conſtituunt Chriſtiani Regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Landgravius Turingiæ.

1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modo dicti victoriam deſperantes, in Germaniam revertuntur.

1200. Saraceni poſt captam crudeliter Ioppem, ſævierunt in omnes Chriſtianos.

1202. Africani Saraceni utramq; Hiſpaniam igne & cæde vaſtarunt, excurſionibus in Galliam quoque factis.

1216. Friderico ſecundo Imperatore nova expeditio in Syriam decreta, multis principibus conſpirantibus, contra Saracenos.

Eodem anno in ſuburbio Aconis civitatis, exercitus Chriſtianorũ confluunt, & civitatem Damyatam Ægypti urbem ab impiis munitam obſident.

1217. Quatuor Hiſpaniæ Reges collecto in unum exercitu Saracenos repreſſerunt, ex Betica tamen ejicere non valuerunt.

1221. Damyata Sultano reddita, Chriſtiani Aconem & Tyrum redierunt.

1228. Fridericus Imperator in Syriam profectus inducias cum Saracenis pepigit, & Hieroſolyma, cum ſuis copiis, Regio Diademate honorandus ingreſſus eſt.

1237. Chriſtianorum exercitus, cui Theobaldus Navarræ Rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit.

1244. Saraceni à Ferdinando Rege forti & celebri, ex Hiſpaniis expulſi.

1247. Saraceni Aſiatici Chriſtianos in Syria vexarunt & ſepulchrum Chriſti ignominioſe defœdarunt.

1248. Ludovicus Rex Galliæ, exercitum trajecit in Syriam, animo expugnandi

gnandi Saracenos, & cupiditate liberandi Chriſtianos.

1249. Congreſſus Ludovicus Galliæ Rex cum Saracenis Damyatam civitatem populoſam ac turrigeram cepit.

1250. Cum inter procellas pugnæ ad Faramiam à Saracenis comprehenderetur Ludovicus Rex cum Carolo & Alfonſo fratribus, reddidit Damyatam: quo facto ſuæ ſuorumque ſaluti conſuluit, & ex vinculis liberatus eſt. Captus Rex eſt die 5. Apr,

1252. Saraceni Baleares amiſerũt inſulas, quas occupavit dux Tarraconenſium.

1261. Hiſpaniæ Reges inter ſe diſcordes, alius Gallos ſocios ad ſe allexit, alter Saracenum militem adverſus fratrem conduxit, ſuo ſuorumque maximo incommodo.

1262. Factiones Veneta & Genuenſis Chriſtianos Ptolemaidẽ & Tyrum incolentes, inteſtinis odiis exercuerunt.

1265. Expulere ex Syria Saraceni Chriſtianos.

1268. Antiochia à Bodegaro Sultano vaſtata.

1270. Iterum Rex Galliæ Ludovicus cum filiis tribus ingentes copias, contra Saracenos, in Africam duxit, ubi cum contra illos feliciter pugnatum eſſet, Carthaginem obſedit, ſed peſtis exercitum inficiens Regem, ſimulque filium ejus Ioannem vita privavit, & ſic ſoluta eſt obſidio.

1281. Armenii & Scythæ ad Gamalam Iudeæ urbem cum ipſa pene urbe à Saracenis delentur.

1289. Sultanus Ægypti Rex Tripolim incendit, Chriſtianos in ſervitutem abigit.

1290. Tyrus, Sidon, Tripolis, Berythus ab eodem incenſæ & complanatæ. Ptolemais fuga diſperſis Chriſtianis, ſine vi capta atque diruta, fundamentis quoque effoſſis. Chriſtiani qui urbem reliquerant, Cretam fugientes, perierunt naufragio.

APPEN-

APPENDIX

Sive

Excerpta ex Muhammedis Alfergani Aſtronomicis.

Ex verſione cl. viri I. G.

De annis Arabum & Barbarorum; de nominibus menſium & dierum; eorumque inter ſeſe diſcrepantia.

Arabes & Barbari numerant menſes anni duodecim. *Arabum* quidem menſes hi ſunt, 1 *Muharram*. 2 *Tſafer*. 3 *Rabe prior*. 4 *Rabe poſterior*. 5 *Zjumáda prior*. 6 *Zjumáda poſterior*. 7 *Rezjeb*. 8 *Sjabân*. 9 *Ramedhân*. 10 *Sjavvâl*. 11 *Dulcàda*. 12 *Dulházja*. Qui menſes conſtant alternatim diebus tricenis, & undetricenis. ita ut ex iiſdem menſibus ſex integri ſive pleni ſint; ſex reliqui mutili ſive cavi: annuſq; dies obtineat CCCLIV, juxta calculum abſolutum ſive rotundum;

qui & vulgatior. Sed juxta ſubtilius ratiocinium, hæc anni Arabici quantitas, per tricenos annos, excreſcit diebus undecim: de quibus anno cuiq; cedit portio quinta & ſexta diei. Atque ita annus præciſę habet dies CCCLIV, cum quinta & ſexta portione diei unius: & annus ille, quo hæc fractio, ſeu hę partes diem integrum conſtituunt, menſes ſibi vindicat ſeptem plenos, & quinque cavos.

Hic autem numerus diebus menſium congruit, ſubductâ ratione ad Solis & Lunæ congreſſum, juxta medium utriuſq; motum. Sed ab ipſa neomeniæ phaſi initus numerus variat, quo minus conſequentes menſes alternis ſint pleni & cavi. Non enim ſemper contingit, initium menſis, ratione & calculi & conſpectus novæ Lunæ, incidere in eundem diem: neque hoc fit, niſi tractu temporis ambo inter ſe æquentur.

Dies Arabum, quibus dinume-

rantur menſes, ſunt dies ſeptem; quorum primus eſt dies Solis, initium capiens ab occaſu Solis die Saturni; finem vero ab ejuſdē occaſu die Solis: quo modo etiam reliqui ſeſe dies habent. Auſpicantur enim Arabes diem quamque naturalem ab eo momento, quo Sol occidit: propterea quod dies cujuſque menſis apud illos ineunt à neomeniæ aſpectu; is autē contingit circa occaſum Solis. Sed apud Romanos, & alios, qui non inſtituunt ſuos menſes ad Lunæ phaſim, dies nocti præmittitur, & dies quilibet naturalis incipit ab exortu Solis, & ad exortum ejus ſequentem finitur.

Menſes vero *Syrorum* ſunt, 1 *Tiſchrin prior*, conſtans diebus XXXI. 2 *Tiſchrin poſterior*, dierum XXX. 3 *Caneun prior*, dierum XXXI. 4 *Canoun poſterior*, dierū itidē XXXI. 5 *Sjubat*, habens tribus annis dies XXVIII; at quarto anno dies XXIX: qui annus, ob diei hujus aucta-

 rium,

rium, embolimæus ſeu intercalaris dicitur. 6 *Adâr*, continens dies XXXI. 7 *Niſân*, dies XXX. 8 *Eijâr*, dies XXXI. 9 *Itazirân*, dies XXX. 10 *Tamoùz*, dies XXXI. 11 *Ab*, dies XXXI. 12 *Eiloùl*, dies XXX. Itaque anni dies colliguntur CCCLXV; quartuſq; annus, uno auctus die, præciſe cõplectitur dies CCCLXVI.

Menſes *Romanorum* numero dierum conveniunt cum mẽſibus Syrorum. Et quidem primus illorum menſis *Ianuarius*, eſt horum Canoun poſterior. ita cõveniunt, 2 *Februarius*, & Sjubât. 3 *Martius*, & Adâr. 4 *Aprilis*, & Niſân. 5 *Majus* & Eijâr. 6 *Iunius*, & Itazirân. 7 *Iulius*, & Tamoùz. 8 *Auguſtus*, & Ab. 9 *September*, & Eiloul. 10 *October*, & Tiſchrìn prior. 11 *November*, & Tiſchrìn poſterior. 12 *December*, & Canoun prior.

Menſes *Perſarum* hi ſunt; 1 *Fervvardîn-mah*: cujus prima dies *Neurouz* dicitur. 2 *Ardabehiſch-mah*. 3 *Chodâd-mah*. 4 *Tîr-mah*:

5 *Mor-*

5 *Mordâd-mah.* 6 *Sjahrîr-mah.* 7 *Mihr-mah.* hujus diem XVI *Mihrzjan* vocant. 8 *Abân-mah.* cujus dies XXVI primus eſt illorum decem, qui vocantur *Ferwardizjan:* ex iis quinque complent menſem; quinque reliqui adjiciuntur extra menſium ordinem, dicti *Andarzjahât.* 9 *Adur-mah.* cujus primus dies celebratur, equi tatu *Keuſec.* 10 *Dei-mah.* 11 *Bahmén-mah.* 12 *Asfendârméd-mah.* Et quidem ſingulorum menſium dies ſunt numero triginta. Sed inter Aban-mah, & Adur-mah inſeruntur dies quinque: ita ut conflentur anni dies CCCLXV.

Singulorum autem menſium diebus Perſæ hæc indiderunt nomina, 1 *Hormouz.* 2 *Bahmèn.* 3 *Ardabehiſcht.* 4 *Sjiahrir.* 5 *Asfendârmèd.* 6 *Chordâd.* 7 *Mordâd.* 8 *Deibadùr.* 9 *Adûr.* 10 *Aban.* 11 *Chaur.* 12 *Mâ.* 13 *Tîr.* 14 *Zjùs.* 15 *Deibamihr.* 16 *Mihr.* 17 *Surouſch.* 18 *Reſch.* 19 *Ferloardîn.* 20 *Bahrâm.*

21 *Râm.*

21 *Râm.* 22 *Bâd.* 23 *Deibâdîn.* 24 *Dîn.* 25 *Ard.* 26 *Iſchtâd.* 27 *Aſmân.* 28 *Zamiâd.* 29 *Marasfend.* 30 *Anirân.*

Dies verò *AnderZjahat*, ſeu appendices ita vocantur: 1 *Ahnoud-Zjah.* 2 *Aſchund-Zjah.* 3 *Aſfendmed-Zjah.* 4 *Ochsjuter-Zjah.* 5 *VVahèſcht-Zjah.*

Menſes denique *Aegyptiorum* hi ſunt, 1 *Toth.* 2 *Paophì.* 3 *Athyr.* 4 *Choiàc.* 5 *Tybi.* 6 *Mechir.* 7 *Phamenòth.* 8 *Pharmuthi.* 9 *Pachòn.* 10 *Paynì.* 11 *Epiphì.* 12 *Meſorì.* Hiſce adjiciuntur quinque dies reſidui, Lavvàhic dicti, id eſt, appendices, Egyptiacè Epagomenæ.

Menſes enim ſinguli conſtant xxx diebus: annus autem comprehendit dies ccclxv; totidem, quot habet annus Perſarum.

Olim quidem principia horum menſiū reſpondebant initiis menſium Perſicorū: ita ut principium *Toth* idem eſſet cum initio *Deimah*; & porro menſis quivis alter

cum

cum altero: donec anni Ægyptiaci finis conveniret cum fine menſis *Adur*. Quod etiam obtinet in tabulis, ad tempus illud conſtructis. At vero menſes Ægyptiaci, qui apud Ægyptios hodie in uſu ſunt, aliter procedunt; illi enim imitati Romanos ac Syros, magnitudinē anni augēt diei quadrante. Quamobrem etiam illorum menſes Perſicis diſſimiles ſunt: at Romanis atque Syriacis congruunt, univerſos inter ſeſe anni dies complexi. Primus autem apud eos anni dies, reſpondet diei XXIX menſis Ab.

Æra, ſive *Epocha*.

ÆRa Arabū ducitur à principio ejus anni, quo Muhammed relictaMecca, cōmigravit Medinam: eratque iſtius anni initium feria quinta.

Æra Perſarum petitur ab initio illius anni, quo imperare cœpit Iezdezjird fil. Sjahriar, fil. Coſræ.

Coſræ; eratque iſtius anni principium feria tertia.

Romani, & Syri, æram deducunt ab initio annorum Alexandri, dicti bicornis; qui quidem dies fuit feria ſecunda.

Ægyptiorum æra, uſurpata in magno Ptolemæi opere, ſubducitur à principio ejus anni, quo regnare incepit Bochtonaſrus: quod incidebat in feriam quartam. at vero æra Ægyptiaca, in Ptolemæi tabulis expreſſa, procedit ab initio annorum Philippi, qui dies fuit feria prima.

Inter epocham vero Alexandrinam, & Iezdezjirdicam ſunt anni Romani 292, & dies 259.

Intervallum inter epocham Bochtonaſri, & epocham Iezdezjirdis, conſtat annis Perſicis 1379, & 3 menſibus. Epocha Philippi diſtat ab Epocha Iezdezjirdica annis 955, & 3 menſibus.

Inter epocham vero Alexandrinam & Iezdezjirdicam, ſunt

anni

anni Romani 942, & 259 dies.

Denique epocha Alhiziræ, id eſt migrationis Muhammedicæ, ab eadem Iezdezjirdis epocha differt diebus 3624.

Harum epocharum omnium prima eſt epocha Bochtonaſri; ſecunda Philippi; tertia Alexandrina; quarta Alhizjræ; ultima Iezdezjirdica.

FINIS.

41-312